CAESARINI FÜRSTENERII DE JURE SUPREMATUS AC LEGATIONIS...

Gottfried Wilhelm Leibniz

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
26 A
15

13-23' Gr' H

Digitized by Google

I B 3

Author huius libri
sub nomine Caesarini
Furstenerij est Gulielmus
Leibnizius

Digitized by Google

42. B. 17.

Digitized by Google

CÆSARINI FÜRSTENERII

DE JURE SUPREMATUS AC LEGATIONIS PRINCIPUM GERMANIÆ.

Editio Altera correctior & auctior.

CIↃ IↃC LXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QUicunque vulgò controverſias ad Rempublicam pertinentes tractant, plerumque affectu non minùs quàm ratione feruntur: quod non improbo, & prudenter arbitror facere Principes, qui Advocatis ſtudio ardentibus cauſam commendant ſuam. Nam & Lectores multi non tam judicio, quàm excitatis arte motibus animi rapiuntur; affectus autem quos volumus in aliis non tam exquiſitis argumentis quàm vivida ipſorummet affectuum pictura excitamus, quos nemo facilius exprimit, quàm qui ſentit. Itaque vereor, ne mihi, extra ſtudia partium poſito, & nihil ab eventu expectanti, frigidior extiterit oratio: Spero tamen quanto minus afficiet Lectorem plebejum, tanto viris prudentibus gratiorem fore, quibus eloquentia ſuſpecta eſt, nudaque veritas amatur. Iidemque intelligent non me ita cæco impetu in hanc cauſam ferri, ut in alios impingere nihil penſi habeam: contrà enim illud curavi ſtudioſè, ut cùm dignitatem Ordinum extollo, Cæſaris Majeſtatem conſervem, & cum Principum magnitudinem aſſero, Electorum ſplendori faveam. Quia verò in ipſo dicendi calore verba excidere ſolent, quæ in alterutram partem nimia apparent, & totam dicentis ſententiam exprimere non poſſunt, ne curſus ratiocinationis intempeſtiva explicatione interrumpatur: ideò conſultum videtur hoc loco paucis vera animi ſenſa in ipſa tractatione di-

ſperſa complecti,quæ viro bono,&,ut aliquid fortiùs dicam,Germano,digna,credo, judicabuntur. Cæſareum itaque faſtigium paulò ſublimius eſſe arbitror, quàm vulgò ſibi perſuadent; Cæſarem eſſe Advocatum, vel potius Caput, aut, ſi mavis Brachium ſeculare Eccleſiæ univerſalis. Totam Chriſtianitatem unam velut Rempublicam componere, in qua Cæſari autoritas aliqua competit. Hinc Sacri Imperii nomen,quod æquè latè ac Eccleſia Catholica quodammodo porrigi debet.Cæſarem eſſe Imperatorem, id eſt, Ducem natum Chriſtianorum contra infideles: ipſius eſſe ante cæteros Schiſmata componere, Concilia & procurare & moderari & denique ipſa ſui muneris autoritate operam dare, nequid Eccleſia & Reſpublica Chriſtiana detrimenti capiant. Multos Principes conſtat aut Imperii Romani, aut certè Eccleſiæ Romanæ Beneficiarios ſive Vaſallos eſſe, à Cæſare aut Pontifice Reges vel Duces appellatos; & reliquos etiam non prius regno, quàm Chriſto inaugurari, cujus Eccleſiæ fidelitatem ſpondent, cùm ab Epiſcopo unguntur.Sic enim Chriſtus regnat, vincit, imperat: cùm pleroſque Occidentis populos ſtudioſa pietate ſe Eccleſiæ ſummiſiſſe hiſtoriæ oſtendant. Nec diſputo, an hæc juris divini ſint; illud conſtat, omnium voluntate facta eſſe, & fieri rectè potuiſſe, & à communi Chriſtianæ rei utilitate non abhorrere: Nam eadem ſæpe eſt ſalutis animarum & boni publici cura,ut neſciam, an non cum conſcientia Regum,Eccleſiæ univer-

ſali

ſali etiam ſceptra ſubjiciantur: non ut minuatur dignatio eorum, aut ut ligentur manus Principibus, quæ ad juſtitiam adminiſtrandam, regendoſque feliciter populos expeditæ eſſe debent; ſed ut homines turbulentos ultra jus faſque exorbitantes & ambitionem privatam innocentium ſanguine placaturos, qui ſæpe Principes ad prava impellunt, major autoritas contineat, quæ in Eccleſia univerſali ſive ſacro Imperio & Capitibus ejus Cæſare ac Pontifice legitimo & poteſtate rectè utente quodammodo reſidere debet. Itaque ſi jure agendum eſt, Cæſari in Magna parte Europæ aliqua autoritas & quaſi Primatus quidam Eccleſiaſtico reſpondens, tribuendus eſt: & quemadmodum in Imperio noſtro de Pace Publica tuenda, ſubſidiis contra infideles conferendis, juſtitia inter ipſos Principes adminiſtranda, cautum eſt; ita ſcimus Eccleſiam univerſalem de cauſis Principum judicaſſe, Principes ad Concilia appellaſſe, in Conciliis de ordine ac ſeſſione pronunciatum fuiſſe, Concilia Chriſtianorum nomine bella in Chriſtiani nominis hoſtes indixiſſe. Et, ſi perpetuum eſſet Concilium vel conſtitutus à Concilio communis rei Chriſtianæ Senatus exſtaret, tunc quod nunc fœderibus, &, ut vocant, Mediationibus atque garantiis fit, id interpoſita autoritate publica à Capitibus Chriſtianitatis Pontifice ac Cæſare profecta, amica quidem compoſitione, efficaciùs tamen quam nunc fit, tranſigeretur. Quod itaque Principes noſtri Cæſari ac Sacro Imperio ſe

propiùs junxere, in eo aliis quibuſdam Principibus ac Rebuſpublicis exemplum monſtrant, quæ melius ſecuritati ſuæ conſulerent, ſi ſe Imperio unirent, ut olim Burgundia, quæ ſponte corpori noſtro acceſſit. Quod autem noſtri exemplum uſurpationis quorundam, inprimis in Italia, ſequi nolunt; ideo præmium conſtantis erga Sacrum Imperium obſequii hoc tulere ab Eccleſia & Orbe Chriſtiano, ut ex eorum numero & ab ipſis Imperator eligeretur, Chriſtianæ Reipublicæ Caput. Itaque quod Imperium agnoſcunt, ad ipſorum potius honorem ac dignitatem pertinet: & nihilo alii quidam liberiores cenſendi ſunt, qui exemtionem exercent, quæ nec ipſis prodeſt, & publico nocet. *Nocet*, inquam, quia diſſolvit illam Chriſtianorum unitatem, quæ publicam tranquillitatem ſtabiliret; *non prodeſt* uſurpantibus, quia nihilo ipſi nunc plùs poſſunt, quàm Principes noſtri; neque enim vel Eccleſiæ poteſtas in conſcientias, vel Sacri Imperii, (Eccleſiæ conjuncti) auctoritas in Principes vel Privatorum libertatem vel Principum Suprematum minuit. Hæc enim non eò dico quaſi Principes, etiam exteri, ſint Cæſaris ſubditi, ſine diſcrimine ac modo, quod abſurdum foret: ſed quòd ſentiam eos, *ſalvo Suprematu ſuo*, autoritati ejus reverentiam efficacem debere; illos tamen maximè, qui peculiaribus vinculis Imperio obligantur, Itali Germanique. Quod ut appareat, intelligendum eſt, quid *Suprematum* vocem. Nimirum vulgò multa de juribus Majeſtatis & formis Rerum-publicarum & ſumma

Digitized by Google

ſumma poteſtate dicuntur quæ abhorrent ab uſu. Ego Majeſtatis vocabulum hinc ablego, quod Cæſari olim in Germania proprium, hodie in aliis quoque Regibus receptum eſt. Summa autem poteſtas ambiguum eſt quiddam. Nam ſi *jus* tantum ſpectamus, æquè maximum Principem ac abjectiſſimum quemque de plebe obligatum eſſe conſtat, ad actiones omnes ex juſtitiæ præſcripto moderandas; ſi verò potentiæ tantùm, quæ ipſo *facto* competit, rationem habemus, tyrannus aut Dux latronum non minus ac Rex, ſumma poteſtate præditus videbitur: itaque medium quoddam tenendum eſt, & jus facto contemperandum. Nempe tria maxima vincula homines continent: conſcientia, reverentia, vis ipſa. *Conſcientia* omnes Deo ſubjicit, *reverentia* Principes Eccleſiæ, Sacro Imperio ac Cæſari; denique *vis* præſens ſubditos Principi aut Superiori: Itaque Majeſtas Cæſaris, cui cultus debetur maximus, nihil Ordinum Superioritati detrahit, quamdiu nondum illuc rediit eorum conditio, ut Cæſar ipſorum oppida præſidiis, recepto atque ordinario jure, teneat. *Jus* ergo *Superioritatis* uniuſcujuſque Principis ſive civitatis in eo conſiſtit, ut ſuum territorium ipſemet, confeſſo jure, militari manu obtineat, & ſubditos præſenti poteſtate continere in officio poſſit: in quo Dominus territorii eminet ſupra Dominum juriſdictionis, Domino territorii ſubditum. Nam *Dominus territorii* jus habet comparandi ſibi vires, quibus totam ſubditorum univerſitatem

tem in poteſtate retineat militari manu; at *Dominus Juriſdictionis* jus habet tantum Miniſtros habendi executionis contra privatos Juſtitiæ refractarios. Ex quibus utique manifeſtè patet, quæ ſit vera definitio tum *Juriſdictionis* (quæ hodierno loquendi JC^torum^ more non coërcitionem tantum levem ſed & merum Imperium ſignificare poteſt) tum *Superioritatis* de qua tam diu juris Publici autores digladiantur. At verò, quia territorium poteſt eſſe exiguum, quale eſt Reipublicæ Sanmarinianæ aut regni imaginarii Ivetotiani, hinc ſuperioritatem territorialem adhuc diſtinguo, ab eo quod appello, *Suprematum*: ut ſit vox quæ illi rei reſpondeat quam exteri vocant *la Souveraineté*. Scio quidem & Gallos JC^tos^ nonnunquam ea voce intelligere exiguum etiam territorium, quale eſt *la Souveraineté de Bidache* aut ſimilis; ſed cum de publicis negotiis ſermo eſt, eos vocare ſolent *Souverains*, quos aliàs appellant *Potentats*, qui ſcilicet majus territorium tenent. *Suprematum* ergo illi tribuo qui non tantum domi ſubditos manu militari regit, ſed & qui exercitum extra fines ducere, & armis, fœderibus, legationibus, ac cæteris juris gentium functionibus aliquid momenti ad rerum Europæ generalium ſummam conferre poteſt. Unde ſequitur talium nunquam magnum nimis numerum fore. Ipſis ergo vel Miniſtris eorum inter cæteras Europæ poteſtates locus datur, exempli cauſa in Conciliis, expeditionibus contra infideles, Tractatibus de pace generali, fœderibus,

ribus, Mediationibus, ut vocant, ac garantiis; Et, ſi reverentiam Deo hominibuſque debitam, exuerent, honoremque ac conſcientiam inſuper haberent, non niſi bello illato coërceri poſſunt: perſonæ tamen eorum, ſacræ & inviolabiles habentur. Quæ omnia Electoribus ac Principibus noſtris non minus ac Regibus competere, à me oſtenditur: & in hoc magni Principes aut Reſpublicæ potentes differunt à Civitatibus aut Dynaſtis minoribus, qui, ut explicui, Superioritatem habent, Suprematum non habent; quia ſe quidem tuentur contra ſeditiones domeſticas, non verò ſatis apud exteros poſſunt. Porrò quia in congreſſibus Legatorum & Tractatibus ferè Suprematûs tantùm functiones exercentur, in quibus Reges, & Principes Suprematum habentes, non differunt; hinc in iſtis congreſſibus Regii Legati à Legatis Ducum Sereniſſimorum vix diſtinguuntur: nam Excellentiæ titulus hodie receptus, omnibus communis eſt, & noviſſimè adventanti honor viſitationis habetur, & viſitans apud viſitatum potiorem Inceſſus ac Seſſionis locum habet. De cætero tamen eſt haud dubiè inter Reges ac Duces Sereniſſimos diſcrimen dignitatis. Quod etiam in Legatis aliquo modo apparet, non Romæ tantùm, ubi in viſitationibus audientiiſque multum intereſt; & Regum Legatis honor habetur, *della Sala Regia*, cæteris tantùm locus datur *nella Sala Ducale*; ſed & alibi. Equidem Veneti obtinuiſſe creduntur regnorum Cypri ac Cretæ

cauſa

Digitized by Google

cauſa, ut Legati ipſorum Regiis per omnia ubique æquarentur: Cumque Electores Sacri Imperii nihilo Venetis inferiores jure merito exiſtimentur, hinc jam præclara offertur nobis ratio inter ipſos Electores Principeſque noſtros tranſigendi. Nam ſi Electores obtinere poſſunt, ut Regibus comparentur, id noſtris non ingratum erit, modo noſtri honorem Principum liberorum tueantur. Eſto enim ita, ſint Electores Regibus pares; favemus eorum dignitati, quæ cum dignitate Imperii conjuncta eſt, modò ne Germaniæ Principes, infra Duces Italiæ deprimantur: quaſi ſcilicet Electores ſine Principum injuria attolli non poſſint? cum contrà potius nihil futurum ſit juſtius, nihil congruentius, quàm ut idem inter Electores & Principes eorumve Legatos intervallum ſit, quod inter Venetos (vel Regios) & cæteros Italiæ Principum Legatos receptum eſt, ſi modo Venetorum jus extra controverſiam poſitum eſt, quod nos ſuo loco relinquimus, & ſi Reges huic Electorum honori aſſentiuntur. Jam verò non circa Excellentiæ appellationem, aut viſitationum æqualitatem, cæteraque, à Suprematum habente venientibus communia, Legati Regii à Ducalibus hodie diſtinguuntur; ſed circa alia quæ enumerare nihil attinet. In quibus etiam Collegium Electorale eminere facile Principes patientur (præſertim cùm Regem Bohemiæ ex Electorum numero eſſe conſtet) non vero in illis quæ communia eſſe debent. Hæc autem *tranſactio* utrique parti lucroſa futura eſt,

raro

Digitized by Google

raro exemplo,& in univerſum ad Imperii dignitatem pertinebit,&verò ſummam habet æquitatem. Nam ut oſtendam uberiùs in ipſa tractatione,Itali Principes, non minùs ac Germani, Imperio ſubſunt,& Germani non minùs quàm Itali Suprematus jure ampliſſimas ditiones tenent, & noſtri dignitate familiarum atque originum fortaſſe ipſis ſuperiores habendi ſunt, ut comparati cum illis Itali planè novi & nuper nati haberi poſſint. Nec vero aſſignare poſſunt Electores diſcrimen inter noſtros atque Italos Principes,quod non in ipſoſmet torqueri poſſit: æquè enim Electores ac cæteri Principes Imperio obſtringuntur. Et verò neminem etiam exterorum,iniquum ita,& præjudiciis occupatum fore arbitror, qui Principibus noſtris ſuadere velit, ut ab Italis eſſentiale diſcrimen patiantur,quibus ne cedere quidem vellent.Equidem ſi *Excellentia* & cætera quæ diximus, tantum Legatis Regiis ac Venetis tribuerentur, facilius paterentur noſtri Electoralium prærogativam: quos Regiis ac Venetis æquari, ipſis non invitis fiet: ſed quoniam hæc jam Ducibus quoque liberis Italiæ, quorum Legati longo infra Venetos intervallo habentur, nec ullo jure noſtris præferri poſſunt, communicata ſunt, non poſſunt noſtri renunciare notis libertatis, niſi & libertati renuntient,quam cum Electoribus communem habent. Cætera parati & Cæſarem colere, & Electoribus multum deferre. Nec refert quod noſtri Principes in Weſtphalicis Congreſſibus *Excellentiam* ſuis Mi-
niſtris

niſtris non aſſeruerint: equidem in hac ipſa diſſertatione plenè nî fallor, huic objectioni ſatisfaciam; hoc loco verò dicere ſatis erit, Principes noſtros, judicaſſe Miniſtros ſuos atque Electorales tunc non fuiſſe Legatos ad congreſſum exterorum, ſed Deputatos ad Conventum Imperii, tametſi in eodem loco haberentur congreſſus & conventus. In Conventibus autem Imperii inauditum erat *Excellentiam* Miniſtris tribui quæ alioqui in Imperio nova erat, nec æquum videbatur in Conventibus noſtris titulos reformari ad exterorum normam: & hinc factum eſt ut Principes noſtri non ſuis Miniſtris *Excellentiam* tunc poſtulaverint, ſed tantùm Electoralibus negaverint, velut rem novam & in Deputatis ordinum inſolitam, quod notandum videtur. Quanquam infra oſtenſurus ſim Deputatos iſtos nihilo eſſe Plenipotentiariis inferiores. Præterea tunc Monaſterii ne quidem Sabaudo & Mantuano à Nuntio ac Cæſareis Hiſpanicîſque Miniſtris ea tribuebatur. Quam tamen (non exſpectato, ut nunc facere videri volunt, Cæſare) Gallici Legati jam tunc iis dederant & omnino paucis abhinc annis pleraque iſta diſcrimina ſatis adhuc incerta fluctuabant. Hodie verò quoniam hæ velut Suprematus notæ in omnibus Italiæ Ducibus à Coronis, & in Electoribus à Cæſare quoque agnoſcuntur; manifeſtum eſt, pari noſtrorum Principum juri nec Imperii nexum, nec Regum ſupra Principes eminentiam, nec Majeſtatem Cæſaris, nec Electorum prærogativam obſtare videri

poſſe:

poſſe: rationem autem & exempla & actus, quos ut in ipſa diſſertatione oſtendam, exercuêre noſtri multos, prorſus favere. Hæc qui expendent, & candidè æſtimabunt, me moderatius erga omnes, ad Cæſarem ſummiſſiùs, ad Electores reverentiùs, de Principibus noſtris juſtiùs, loqui non potuiſſe credo, fatebuntur.

Coronæ verò non habent cur noſtros nimia petere putent, poſtquam erga Italos tam liberales fuere. Agnovêre ipſæ libertatem noſtrorum, & ſubinde ſe ejus aſſertores tulere, quòd ſi nunc reſiliant, affectibus ſe agi, non ratione fatebuntur; præſertim cum non erga omnes, & non minus erga Electores affectuum cauſas habeant. Quàm magnificè olim Galli ſenſerint de noſtrorum Principum libertate, intelligi poteſt ex Apologia quàm pro Electore Trevirenſi Philippo Chriſtophoro, qui ſe in ipſorum clientelam dederat, edidere, unde excerpta huic libro inſerui. Nunc verò ſcio nonnullos eorum paulo audaciùs, quàm par ſit, paſſim jactare, non mereri Principes noſtros tractari velut liberos, quod ſe hodie à Cæſare pro lubitu circumagi patiantur. Quod tamen falſum eſt. Nam etſi non negem liberrimos etiam Principes interdum bello flagrante aliorum motu abripi; illud tamen conſiderari volo, quoſdam è potentioribus Germaniæ Principibus ſuis quibuſdam rationibus motos, non coactos, ſed ſponte Cæſari acceſſiſſe, *peculiaribus fœderibus initis*; quod eorum libertati nihil nocere poteſt, cùm eam potius ipſa Cæſaris confeſſione

feſſione ſtabiliat. Sunt tamen, qui tuiti ſunt, quam vocant, Neutralitatem. Et quoad cæteros, Galli ipſi habent, quòd ſibi nonnihil imputent, cùm ſub initium hujus belli, Electorum ac Principum quorundam pacifica officia miſſis Miniſtris oblata declinârint. Nec vereri Coronæ debent nimiam *Principum* multitudinem, quo terriculamento nonnulli moventur: nam Suprematum illi demum exercent, qui magnum territorium habent & belli ac pacis non appendices, ſed ſocii cenſentur, nec parum conferunt ad rerum ſummam. Talibus certe Principibus (quorum nunquam nimis magnus eſt numerus) annexa Suprematui negare, contemtus & animi à pace alieni demonſtratio eſt. Iniquum etiam eſt, cum in Batavorum, Sabaudi, Mantuani, imò & in Electorum gratiam cæremonialia mutata ſint, ut in hac diſſertatione paſſim oſtendi, erga ſolos Principes noſtros veterem ſtylum ſervari: cum tamen cæremonialia, ſicut nummi, uſu exiſtimentur: & perinde ſit ac ſi veterem monetam ubique alias valore imminutam, nobis tantùm ſecundum priſcam æſtimationem obtrudere vellent. Nec eſt, cur Cæſaris exemplo præfractè inſiſtere velint, nam hoc ipſum rude eſt & odioſum, exteros ab eo exigere velle, quod ab ipſis faciliùs incipitur. Nam Principes noſtri quodammodo ſunt propinqui Cæſaris; & inciviles eſſent, qui Patri-familias denuntiarent, nullum ſe ejus liberis, fratribus, propinquis, honorem habituros, quàm quem ipſe exhiberet. Nam nec *Rex*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianiſſimus probaret Ducem Aurelianenſem aut Principem Condæum ab aliis nihilo liberalius quam ab ipſo ſit, tractari. Denique alias Legati Regis Chriſtianiſſimi, ut ſupra dixi, in Monaſterienſi congreſſu Miniſtris Sabaudis & Mantuanis *Excellentiam* dedere, quanquam tunc à Cæſareis conſtanter negatam. Quod ſi ergo nunc noſtris exemplum Cæſaris objicere pergunt, & hoc ſubterfugio cùm volunt modò utuntur, modò non utuntur; ut qui larvam nunc ſumunt, nunc recondunt; quid aliud quàm animum à Germanis averſum oſtendent? & majorem dabunt ſpeciem ſermonibus ſuſpicantium, Galliam odium erga noſtros, & contemtum in animis conditum gerere, erepturum cùm occaſio erit, eique jam nunc præludi, dum ſe parum curare oſtendat quæ ſit libertas dignitaſque Principum, quam ipſa olim tam ſtudiosè defendebat; perinde ac ſi jam eo uſque excreverit ejus magnitudo, ut omnibus majorum conſiliis neglectis, vicinos Principes, velut miſellos clientes, & aliquando ſubditos futuros, tractare poſſit. Quæ ab inimicis Galliæ jactata, ego à Magni Regis ſapientia alieniſſima eſſe judico, nec ipſius rebus prorſus congrua, ſi Principes noſtros indignis modis habitos ad Domus Auſtriacæ fidem ſine exceptione confugere potiùs, quam exterorum contumelias pati cogeret. Quod ſi contrà Rex Chriſtianiſſimus laudabilibus majorum exemplis inſiſtens etiam medio in bello dignitatis Principum noſtrorum rationem habebit; & ſin-

ceræ pacis & redintegrandæ amicitiæ ſpem oſtendet. *Magnæ Britanniæ Regem* nobis favere non poſſum dubitare: Sapientia ejus atque æquitas ubique celebratur & notum illi propiùs eſt, quæ ſit in Germanis Principibus animi magnitudo, & ſtudium erga ipſum. Sed & amicitia cum nonnullis eorum ſingularis ei intercedit; dudum fundata, ſemperque culta. Itaque cum præclara illi offeratur occaſio pro perſona quam gerit & jure Mediatoris, teſtandi animum in noſtros pronum, nihil mediocre nobis ab ejus officiis promittimus, certè nihil minus veremur, quàm ut ipſo autore dignitati eorum quicquam detrahatur. Saltem ad dignitatem ejus pertinet oſtendere, ſe propriis motibus hac in re dare aliquid, nec velut Gallicæ ſententiæ appendicem, alienas opiniones ſequi. Idem nobis de aliis Regibus, Principibus ac Rebuſpublicis ſpondeo, quorum prolixa erga noſtros voluntas, fœderibus, arctioribus vinculis, & reciproco cultu ſæpe teſtata, jus noſtrum extra omnem dubitationem collocavit. Hæc præfari operæ pretium duxi, ut præparentur animi, & ex ipſo libelli veſtibulo ſententia autoris & rationum pondus intelligatur.

Digitized by Google

CÆSARINI FÜRSTENERII

De Jure Supremat ûs ac Legationis Principum Germaniæ.

CAP. I.

Introductio & conſpectus Controverſiæ de Jure Legationis ac Supremat ûs Principum & Prærogativa Electorum.

NObilis hodie Controverſia agitatur de Jure mittendi Legatos quod ſibi Principes Germaniæ meritò vindicant, de quo nemo quondam jure dubitavit, non magis quam de libertate ac illa poteſtate quam Galli vocant *la Souveraineté*, mihi *Suprematum* dicere fas ſit. Hunc enim magno conſenſu dudum illis tota tribuit Europa. Nunc vero reperti ſunt aliqui uſque adeo ſubtiles ut in ipſo Suprematu formas ſibi fingant diverſas,& Electores ac cæteros Imperii Principes ſpecie *hujus facultatis* diſcerni arbitrentur,quo nihil fingi poteſt, ut molliſſimè dicam,ab omni veritatis ſpecie alienius. Quid enim? poteſtas eligendi Imperatorem,augetne Suprematum Principis in ſua cujuſque Provincia? An plus in ſubditos ſuos Electores quam cæteri Principes poſſunt,faciliusne illi quam iſti armantur, juſtiusne aut efficacius copias educunt, quibus tamen ni fallor maximè Suprematûs vis continetur? Si Imperii nexus Suprematui ac libertati obſtat, communis Electores ruina involvet: quod ſi Magni Reges Imperio ſalva dignitate obligantur, quid eſt quod Principibus imputemus? At verò tantum in Imperio poſſunt Electores ſeptem, quantum Principes ſimul omnes? ita ajunt vulgò, quamquam neque id ſit o-

Digitized by Google

mninò verum, neque ad rem pertineat. Nam potiſſima quæque in Imperio, quæ nimirum jus Suprematûs propiùs attingunt, ſuffragiorum numero non ſubjiciuntur, quemadmodum Religio, Libertas, & multa id genus: cætera ad communia potiùs unionis quam ſingularum provinciarum domeſticas rationes ſpectantia Conventui Imperii generali rectè ſubmittuntur. Nam qui Reſervata & Regalia Cæſaris & Comitialium quoque deliberationum materiam examinabit, facile agnoſcet Principum in ſuis ditionibus poteſtatem minus tangi, ſed ea maximè quæ ad generalem totius Imperii adminiſtrationem pertinent deliberationibus committi. Itaque Electorum prærogativa non in jure Suprematûs ſed in certis functionibus conſiſtit, quæ circa communia Imperii negotia exercent, & à paucis fieri Reipublicæ intererat, qualis eſt electio Imperatoris & quæ huic connectuntur, quamvis latius ea aliqui extendant, quam par ſit: ſed & in Comitiis intereſt publici boni quaſi ſanctius quoddam conſilium Imperatori eſſe additum, in quo facilius quæſtiones præparentur. Neque illud abnuo extracomitiali tempore ſuper quibusdam Imperii negotiis à Cæſare Electores conſuli, quando omnes convocari ſtatus non patitur ratio rerum. Hæc ſcilicet omnia Electores non jure proprio ſed perpetua quadam Imperii commiſſione exercent, non ut incrementum Suprematûs, ſed ut functionem ſibi delegatam, circa rerum Imperii generalium adminiſtrationem. Dudum hæc annotata etiam exteris, ex quibus Renatum Choppinum infra cap. 44. producam. Neque Electorum minuunt dignitatem, nam & honores illis tribuimus, qui publica in Imperio munera obeuntibus maximi debentur & prærogativam in controverſiam non vocamus, modo illud teneatur; ipſos Electores magis haud dubiè jure Suprematûs domeſtico, quam functionibus illis gloriari, quas in Imperio exercent, & quas profectò Imperium olim committere poterat quibuſcunque libuiſſet, etiam privatis. Quæ cum ita ſint, ego pro certo habeo, ſapientiores eſſe tantos Principes, quàm ut jura Principum Imperii in controverſiam vocent, nam niſi ipſimet

Digitized by Google

met liberi eſſent Imperii Principes, ditioneſque cum ſuperiori poteſtate poſſiderent, profectò neque ob eligendi munus, neque ob alias functiones, hunc qui meritò illis conceditur, obtinerent dignitatis gradum. Quare non cum ipſis, quantum judico, ſed cum exteris quibusdam, rerum Germanicarum parùm peritis æſtimatoribus, ineunda nobis diſputatio eſt, ut appareat cedere Principes Electoribus, ſeparari ab illis, & toto Supramatûs genere diſtingui non poſſe. Quodſi tamen conſtiterit Electores Venetorum exemplo Regibus eſſe æquandos, nihil gratius fiet Principibus, quàm ſimul & Electoribus præeminentiam & ſibi dignitatem Suprematûs ſalvam eſſe poſſe. Facilè enim patientur, tantum intra ſuos Electoraleſque Miniſtros diſcrimen haberi, quale inter Venetos (id eſt Regios) & Sabaudos (id eſt Ducales) eſſe fertur, ſi Reges Electoribus locum apud ſe dare volunt.

CAP II.

Hiſtoria Controverſiæ. Occaſio à Lotharingo quem Galli ægrè Noviomagi admittebant & in literis Salvi Conductus (Paſſeports) *ejus Miniſtris nomen Legatorum negabant, cauſati exemplum non exſtare. Brandenburgico & Neoburgico conceſſere quod exempla haberent. Sed poſtea pœnitentia ducti Tabulas Neoburgico deſtinatas revocavere; nomen* (Ambaſſadeurs) *errore irrepſiſſe cauſati, & profeſſi id nomen Miniſtris Principum Germaniæ non deberi. Quod tamen Cæſarei & Hiſpani ipſis conceſſere.*

CONtroverſiam tractare aggreſſus quæ in aulis maximorum Regum, & nunc Noviomagi in publico Europæ Conſeſſu agitatur, operæ pretium eſſe judico, exponere occaſionem ejus & progreſſum, quò facilius intelligatur ſtatus quæſtionis. Notum eſt in Congreſſu Colonienſi Legatos Regis Chriſtianiſſimi querelas Caroli Senioris Lotharingiæ Ducis admittere aliquamdiu recuſaſſe, quod dicerent Lo-

 tha-

tharingiæ, ante mota in Batavos arma occupatæ, negotium nihil cum præſenti bello commune habere: cum verò Dux inito fœdere à Cæſare & Fœderatis Belgii Ordinibus ſtipulatus eſſet ſolenniter, ut Pace generali comprehenderetur, neque ſalvis pactis incipi poſſet tractatio de Pace niſi Lotharingo quoque admiſſo; ceſſêre Galli ſanè, ſed intervenit caſus inopinatus, qui ſive colorem ſive cauſam illis dedit negotiationem Colonienſem abrumpendi: is fuit, captivitas Guilielmi Principis Furſtenbergii è media urbe miniſterio Graniani militis abrepti: ita tunc diſſolutus eſt conventus ægréque poſtea Noviomagi multis conciliatorum pacis ſive *Mediatorum* hortationibus inſtauratus. Interea obiit Carolus Senior Lotharingiæ Dux, variæ Princeps fortunæ & hoc uno noviſſimè ſolatus exilium, quod jam poſt Trevirenſem victoriam mutari rerum faciem ſperaret; ſucceſſit illi Carolus, è fratre Nepos, egregia Princeps fama. Huic in patrui jura ſubeunti, & conceſſa illi à Gallis Tractatibus generalibus interveniendi facultate utenti, objecta eſt difficultas nova. Nam cum Miniſtris ſuis Salvum Conductum per Mediatores poſtularet, non abnuit Gallia quod negari non poterat, ſed adjectis quibuſdam clauſulis beneficium corrupit: primum enim in literis Salvi Conductûs non Ducem ſed Principem Lotharingiæ vocavit, perinde ac ſi non pleno jure ſucceſſiſſet in Ducatum ſed pari cum illis quos habet Gallia, Lotharingiæ familiæ Principibus, conditione eſſet; qui ſola ſuccedendi ſpe nituntur. Intolerabile id Carolo fuit, hanc ſibi in ipſo limine velut ſtatus quæſtionem moveri: itaque per Cæſarem, per Hiſpanos, per Batavos, ſumma vi apud Mediatores actum ac denique effectum eſt, ut intolerabilis formula à Gallis reformaretur. Altera erat clauſula harum literarum ſatis gravis, quod Miniſtri Lotharingici paci tractandæ deſtinati, non Legati ſed Deputati (*Miniſtres deputés*) dicebantur, perinde ac ſi ab urbe aliqua aut Principe alteri ſubjecto venirent, aut ad Conventum aliquem Imperii miſſi eſſent. Quod cum etiam reprehenderent Fœderati, Gallia ſe exemplis tuita eſt, negans à Principibus Ger-

Digitized by Google

Germaniæ, quibus pari conditione eſſe Lotharingiæ Ducem cenſebat, alios quam Deputatos à ſe agnitos eſſe. Viſum eſt nonnullis, iratam Galliam, cladem a Principibus Germaniæ rebus ſuis illatam inani vindictæ cupiditate fateri. Ego ut apud nonnullos plus odia ratione valuiſſe conceſſero, ita Regem Chriſtianiſſimum qua eſt animi magnitudine, tantùm affectibus dediſſe credere non poſſum: cùm videam conceſſiſſe Electori Brandeburgico, cui multò majori juris ſpecie indignabatur, ut Miniſtri ejus pro Legatis pleno jure haberentur. Cujus diſcriminis cauſam ego ſanè conjicere non poſſum, niſi fortè eò tendit, ut in Imperio diſcordiarum ſemina ſpargantur. Diu dubitatum eſt, an, quod Brandenburgico datum eſt, ipſi ſoli, an toti Electorum ordini concederetur. Nam Galli atque Angli hoc uno ſe clypeo tutabantur: in rebus cæremonialibus non rationem, non potentiam, non dignitatem, ſed ſolam poſſeſſionem valere: Brandenburgicum eam nactum: exſtare enim legationes extraordinarias ab eo miſſas & haberi Olivenſes Tractatus, in quibus Miniſtri ejus pleno legatorum jure ſunt uſi. Præterea viſi ſunt Galli non tantum Electores, ſed & Principes cæteros inter ſe committere atque ſeparare velle. Nam eodem poſſeſſionis principio inſiſtentes Duci Neoburgico deſtinavere Salvi Conductûs literas in quibus Miniſtri ejus Legati (*Ambaſſadeurs*) dicebantur, quoniam intellexerant, Legatos ab eo in Poloniam binis, imò ternis vicibus miſſos & in eodem quo Regii ſolent, honore habitos eſſe. Sed hujus conſilii poſtea pœnituit Gallos; agnovere enim ridiculam, omnibus & ineptam videri diſtinctionem: quid enim? credibilene eſt Polonos fuiſſe parciùs excepturos legatos Brunsvicenſes aut Wurtenbergicos ſi quid quod illic agerent habuiſſent, quam Neoburgicos? Quis ergo arbitretur fraudi illis eſſe debere, quod illuc non miſêre ubi nihil quod agerent habebant: præſertim cum nemo mortalium dubitaret, quin eodem quo Neoburgicus jure uti poſſent. His itaque Galli conſideratis, mutato conſilio, literas Salvi Conductûs Neoburgico deſtinatas, jamque in Le-

gati Angli poteſtate exiſtentes, inopinatò revocavere, errore id factum cauſati ut legatorum nomen irrepſerit, quod Neoburgicis Miniſtris minimè deberetur. Eodemque tempore declaravere, neque ſe Brandeburgicum à cæteris Electoribus, neque Neoburgicum à cæteris Principibus velle ſeparare; ſed à ſolis Electoribus, non à cæteris Imperii Principibus Legatos eſſe agnituros; quoniam haud dubiè & facilius, & rebus ſuis convenientius videbant, totum Collegium Principum toti Collegio Electorum committere, quàm Principes Principibus, Electores Electoribus opponere in communi cauſa. Neoburgicus hoc intellecto, ut par eſt, commotus, datis ad Regem Magnæ Britanniæ literis de injuria graviter conqueſtus eſt; rationibuſque atque exmplis adjectis demonſtravit ſibi ac cæteris Imperii Principibus indubitatum eſſe jus Legationis, eodem quo Electoribus gradu: illud tamen animadvertendum eſt, dum hæc agitantur, nihil ab Electoribus factum dictumve eſſe, quo appareret eos jus cæterorum in controverſiam vocare, ac ſibi prærogativam alieno loco quærere, in quo haud dubiè ſapientia tantorum Principum enituit. Facilè enim vident eos qui injuſta ac dubia ſuper alios affectant, ſæpe certa ac juſta amittere.

Cap. III.

Qui pro Electoribus ſcripſere, profeſſi ſunt ab ipſis Jus Legationis Principum in controverſiam non vocari. Et facilis concordiæ ratio eſt, ſi Electores Venetis ſeu Regibus, Principes Ducibus Italis & Sabaudis & Mantuanis æquales habeantur.

Prodiit interea libellus lingua Gallica cui titulus eſt: *Lettre d'un deſintereſſé à un ſien amy*, &c. Autor ait ſe partium ſtudio vacare, ſed cum totus ſit in recenſendis Electorum privilegiis, quorum pars non ſatis explorata certaque eſt, ſatis oſtendit, quo animo ad ſcribendum acceſſerit: illud tamen laudo, quod teſtatur, Electores huic liti non miſceri, neque de pleno Principum jure mittendi Legatos controver-

ſtam moveri. *La France* (dit il pag. 10) *s'eſt aviſée pour en decliner la haine & pour faire en même temps encor un autre coup à ſon avantage, de debiter que les Electeurs étoient les auteurs de cette diſpute & que c'eſtoient eux qui ne vouloient point qu'on donnât aux Miniſtres des Princes le titre d'Ambaſſadeurs.* Addit pag. 27. *Et peut-eſtre que pour donner d'autant plus de feu aux dits Princes, on leur à fait accroire que c'eſtoient les Electeurs qui travailloient pour l'empecher qu'on ne leur accordaſt point le dit titre d'Ambaſſadeur, quoyque je ne penſe pas qu'aucun de tous les Electeurs y aye ſonge.* Multus eſt in eo ut hortetur Principes ne artificiis Gallorum ſe patiantur committi cum Electoribus; queritur præterea à Principibus dignitates ac Prærogativas Electorum in dubium vocari, quaſi nihil ipſis competat præter eligendi facultatem. Ego, ut dicam, quod res eſt, illos non probo, qui de Electorum magnitudine parum ex Imperii dignitate ſentiunt: ſint illis ſua jura, uſu atque ratione firmata & Dignitas propè Regali par; ſed ut Principes circa ea quæ non ex Imperii functionibus, ſed jure Suprematûs pendent, quod in utriſque par eſt, ab Electoribus ſe diſtingui patiantur, nemo prudens ſuaſerit: Et hortandi ſunt potiùs Electores, ſi quidem ut credere par eſt, affectus ſui atque animi ad concordiam propenſi dare documenta volent, ut Principes in communi cauſa juvent, ne ſcilicet legatis eorum minus quàm Mantuanis Sabaudiſque concedatur: viciſſim ſpondebunt Principes immota Electorum jura fore, quæ neque cum Libertate neque cum pace Publica pugnant. Quod ſi Electores pravis quorundam conſiliis impulſi, iniquos ſe præbebunt Principibus, credibile eſt accenſos animos in mutua damna gratò exteris ſpectaculo fore. Nam ſatis virium animorumque eſt Principibus ad tuendam dignitatem; & diſtinctiones quas ambitio potius invenit quam natura fundavit, plerumque tractu temporis evaneſcunt: quemadmodum urbes in quas magnam hominum vim caſus aliquis potius quam ratio coëgit, paulatim deſeruntur. Quod ſi concordiam utraque pars æmulationi atque invidiæ præ-

 feret,

ferret, utriuſque non libertas tantum, ſed & dignitas ſalvâ erit. Et gratiſſimum erit Principibus Regiæ parem haberi Electorum dignitatem, modo ipſis eadem quæ Italiæ Ducibus, tribuantur.

Cap. IV.

Brunsvicenſis ac Lunæburgenſis Domus ſe Lotharingorum ac Neoburgicorum poſtulatis junxit. Reſolutio ſive Decretum Ordinum Fœderatorum ad Miniſtros quos habent Noviomagi, ut hanc Principum cauſam, quippe æquiſſimam, commendent. Cæſar in Miniſtris Principum qualitatem Legatorum agnovit. Galli declaraverunt ſe Cæſaris exemplum ſecuturos; Etſi non ſatis fidem liberaverint.

Sed ut abſolvamus Controverſiæ totius Hiſtoriam quouſque nunc producta eſt, ſciendum: Lotharingi primum, deinde Neoburgici interpoſitis pro communi cauſa officiis mox ſeſe Duces Brunſvicenſes ac Lunæburgenſes validiſſimis rationibus conjunxiſſe & apud Fœderati Belgii Ordines autoritate ſua effeciſſe ut deliberatione habita in publico Conſeſſu 31. Oct. 1676. decerneretur dandam eſſe operam ut æquiſſimis Principum Germaniæ poſtulatis ſatisfiat. Vidi *Decretum*, five ut vocant *Reſolutionem*, cujus ille eſt ſenſus: „Deputatos Ordinum, quibus rerum extranearum cura „commiſſa eſt, expoſuiſſe Miniſtris Confœderatorum Prin„cipum: expirare jam tempus in cujus exitum dilata fue„rat Tractatuum inchoatio: & tamen Legatos Confœde„ratorum nondum comparere; itaque hoc unum ſuper„eſſe Ordinibus, ut ipſi per ſuos curent interea negotium „inchoari, certa ſpe, fore ut mox cæterorum quoque le„gati ſuperveniant. His auditis reſponſum eſſe à Miniſtris „Cæſareis & Brandeburgicis Hagæ degentibus, jam in iti„nere eſſe Dominorum ſuorum Legatos Noviomagum de„ſtinatos: idem Danos dixiſſe, ac Lotharingos atque Lu„næburgicos eſſe teſtatos, per ſe non ſtare quo minus com-

pa-

parcant, ſed à Gallis Suecisque iniquiſſimam injici mo- "
ram, negatis Salvi Conductus literis in debita forma con- "
ceptis: quibus à Deputatis rerum extranearum cauſa, ad "
Ordines Generales relatis, deliberatione habita decretum "
ut Legati extraordinarii Ordinum Noviomagi degentes "
jubeantur apud Legatos Mediatores efficaciſſimis Officiis "
interpoſitis id agere ut autoritate Mediatorum Galli Sue- "
cique perpellantur ne in negandis literis Salvi Conductûs, "
quales Legatis Principum debentur, ultra perſiſtant. *Ne-* "
que enim rationi conſentaneum videri, ut Coronæ præſcribant "
Principibus quales ab illis Miniſtros mitti velint. Nam "
quibus Jus Legationis in ſolidum competat, quemadmodum "
de Principibus Germaniæ negari non poſſit, his etiam electio- "
nem competere, primine an ſecundi ordinis Miniſtrum mitte- "
re rebus ſuis convenientius ducant. Suprematum Princi- "
pum non magis in controverſiam venire poſſe, quam "
ipſorum Regum Galliæ & Sueciæ, Suprematui autem ple- "
num jus Legationis indiſſolubili nexu cohærere. Hoc à "
Cæſare, imò ab ipſis Gallis, aliquoties agnitum, hoc "
multis actibus poſſeſſoriis eſſe ſtabilitum; neque fraudi eſſe "
debere Principibus quod ſæpe inferioribus Miniſtris uſi "
ſunt, cùm ea res arbitraria ſit. Præterea hæc quæ nunc "
fiunt diſcrimina, inter Miniſtrorum Publicorum gradus, "
ea hoc ſeculo nata paulatimque ſtabilita, ſuperioribuſque "
temporibus propè ignota fuiſſe, ideóque eò minus im- "
putari poſſe Principibus quod jure ſuo mittendi Legatos "
cum ſummi characteris honore non ſemper ſint uſi. "

Hæc ideo fuſius excerpere placuit, quoniam Ordinum Fœderatorum judicium magni apud omnes ponderis eſſe debet. Equidem Legati Ordinum apud Mediatores magno ſtudio egere, ut Principibus ſatisfieret; ſed pertinacia quorundam expugnari non potuit, & Galli neſcio quibus artibus etiam Anglos Mediatores in ſententiam traxiſſe dicebantur, quod non credunt Principes, qui uberiora à Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ æquitate officia exſpectant. Secuta eſt Regis Chriſtianiſſimi declaratio, qua ſe Imperatoris

exemplum ſequi velle ſpopondit. Mirantibus omnibus unde tam ſubita Gallis erga Cæſarem reverentia, ut velut primi Chriſtianorum Principum decretis ſe ſtare velle profiterentur. Cæterum Principes Germani animadverſo eorum artificio qui eos cum Cæſare committi poſſe ſperabant, repoſuere, jus Legationis Principum in Aula Cæſarea eſſe in confeſſo, ſed ſe Cæſari dudum conjunctiſſimos, non jam ab ipſo Salvi Conductûs literas, quod minimè neceſſarium futurum erat, ſed à Gallis Suecisque poſtulare, neque Cæſaris autoritatem defugere, illud tamen non poſſe ferre ut de jure ſuo velut re dubia cujuſquam judicium exſpectaretur. Neque Principes in concepta de Cæſare ſententia falſos fuiſſe eventus declaravit. Nam cum Neoburgicus ac Lotharingus, quorum intererat Noviomagenſibus Tractatibus maturè intereſſe, pertæſi morarum quæ à Gallis nectebantur, interim Miniſtros inferioris gradus quos *Ablegatos* vocant, mittere decreviſſent, Cæſar Salvi Conductûs literis Lotharingo datis declaravit indubium illi jus eſſe mittendi primi ordinis Legatos, quamvis nunc Ablegatis contentus eſſe maluerit. Etiam Gubernator Fœderati Belgii in literis Salvi Conductus Lotharingos vocat *Ambaſſadeurs*; ſed & Legatus Cæſareus Lunæburgenſibus Miniſtris ſignificavit Legati titulum à ſe minime in controverſiam vocatum iri. Itaque invitis Gallis primaria quæſtio à plerisque omnibus ex Principum Germaniæ ſententia, etiam ipſo Cæſare annitente, definita eſt.

Cap. V.

Conceſſa Legati qualitate, faciliùs concedentur annexa cæremonialia: Excellentiæ titulus, Viſitatio noviſſimè advenientis, locus potior viſitantis apud viſitatum. *Atque hæc eſt* hiſtoria Controverſiæ *ex qua patet aliquos in Imperium* pomum Eridos *projicere voluiſſe. Sed ab æquitate Cæſaris, Coronarum, & Electorum jus atque æquum expectari.*

SUperſunt quædam de cæremoniis lites. Quæritur enim an Legatis Principum, ubi more ſolito adventum ſignificaverint,

rint, primæ Viſitationis honor debeatur. Scilicet illud hodie receptum eſt, ut noviſſimum advenientem & reliquos de adventu certiores reddentem illi qui ante eum affuêre, inviſant primi; nullo magnitudinis Dominorum diſcrimine. Neque enim hîc queritur quis alteri præferatur, ſed an Dominus utriuſque gaudeat Suprematu, & an uterque ſit Miniſter primi ordinis, ſeu perſonam repræſentans? Quis enim non videt quantum inter Cæſarem & Electorem interſit? Hujus tamen Legatis ille honor à Cæſareis ex pacto habebitur. Cumque *Analogia quadam intelligi poſſit inter eminentiam Cæſaris ſuper alios Reges, & prærogativam Electoris ſupra Principem:* quod Cæſar Brandeburgicis concedit, hoc profectò Rex Galliæ noſtris Principibus denegare non poteſt. Et quemadmodum Imperator à Regibus non ſpecie Suprematus, ſed ordine loci tantum differt, quem ille habet ſine controverſia primum, ita certum eſt Electorem à Principe non exercitio jurium ſummæ poteſtatis, ſed Seſſionis tantum prærogativa, quæ illi ob eminentes in Imperio functiones conceſſa eſt, diſtingui. Et ab æquitate Cæſaris ſperatur, eundem Electorum pariter & cæterorum Principum Legatis qui Italis, honorem habitum iri, quanquam non abnuant Principes debitis reverentiæ ſignis teſtari quantum Cæſari deferant. Par eſt ratio de cæteris cæremoniis atque honoribus qui Legatis pleno characteris jure veſtitis habentur. Nam & *Excellentiæ* titulo appellantur & in aliorum Legatorum ædibus civilitate prærogativæ fruuntur & apud Reges Principeſque ſe tegunt dignitatis Dominorum tuendæ cauſa, aliaque exercent, quæ à jure repræſentationis pendere manifeſtum eſt, quod illis Dominus unà cum Legati Charactere conceſſit. Hæc ergo Principes Germaniæ, conceſſo ſemel Legatis charactere, ſine dignitatis detrimento negligere non poſſunt. Atque hæc tota Controverſiæ hiſtoria eſt: unde manifeſtum arbitror *pomum Eridos* ab exteris in Imperium projectum eſſe, qui prodigos ſe erga Electores oſtendunt, cæteris iniquos, non alio conſilio, quam ut animorum harmoniam turbent, quæ rebus ipſorum maximè contraria eſt:

Digitized by Google

ſed ſperandum eſt ipſoſmet Electores, qua ſunt ſapientia, dignitatis Principum rationem habituros, quæ cum propria ipſorum conjuncta eſt; *cum Suprematum, non ut Electores, ſed ut Principes, habere ſit manifeſtum.* Hoc ubi facient ingenuè & liberaliter, profecto mirificè ſibi animos omnium conciliabunt: Cæſar quoque nolet Electoribus cum cæterorum Principum injuria favere, denique exteri, re maturius expenſa Principibus quos pari Suprematus jure gaudere ſciunt, debitos honores deferre minimè dubitabunt.

CAP. VI.

a *Status Controverſiæ. Explicatio nominum: quid Miniſter publicus in genere. De ejus inviolabilitate, etiamſi à rebellibus veniret. Ejus juriſdictio in ſuos, quemadmodum & Principis in alieno verſantis.*

b *Diſcrimina Miniſtrorum.* Plenipotentiarius, *cujus acta Dominum obligant.* Ambaſſadeurs *ſeu* Legati. Envoyez *ſeu* Ablegati. Ordinarii *Extraordinariis inferiores, non tamen qualitate diſtincti.* Reſidens *eſt Ablegatus ordinarius.* Agens *habet non tam Credentiales quam Commendatitias.* Commiſſarius *ab habente juriſdictionem aliquam miſſus.* Deputati *propriè qui ad Conventum vel à Conventu.*

a OPeræ pretium mihi viſum eſt hactenus totam controverſiæ hiſtoriam fuſius perſequi ac ſubinde aliquem rationum noſtrarum guſtum adſpergere, quo lectores de facto pariter & jure eadem opera inſtruerentur; nunc ipſam quæſtionem ventilatis utriuſque rationibus tractare aggrediemur quæ huc redit: *Utrum Principibus Germaniæ jus ſit mittendi Legatos charactere repræſentatitio veſtitos, quibus idem, qui Regum, Italorum Principum, ac Electorum Legatis, communis eſt, honos debeatur.* Quod ut accuratè definiamus, ante omnia explicandum eſt quam character Legatorum repræſentatitius vim habeat. Cum verò

verò in rebus civilibus, quarum magna pars ab humano arbitrio pendet, ipſa nomina ipſique tituli in reale quiddam abierint, explicanda eſt vis appellationum, ut intelligatur quid ſit Legatus, (*Ambaſſadeur*) quid Deputatus (*Deputé*) quid Miſſus ſive Ablegatus (*Envoyé*) quid Commiſſarius, Plenipotentiarius, Legatus ordinarius, Extraordinarius, Reſidens, Agens. *Legati* vox generalius ſumitur pro omni illo qui miſſus eſt publico nomine. Hoc ſane ſenſu generali Legatum (ex uſu recepto) demonſtrant mandati tabulæ, quas vocant *Literas Credentiales*. Hoc eodem ſenſu dici ſolet Legatos eſſe inviolabiles. Nam quiſquis tractandi cauſſa miſſus eſt, immunitate fruitur, quæ jure gentium recepta & naturali ratione introducta eſt, ut ne quacunque de cauſa violetur: quod adeò verum eſt ut etiam ad eos porrigi poſſe arbitrer qui ſubditorum nomine ad Principem mittuntur, ſive ut vocant deputantur; quanquam diſſentiat ille qui nuper de Legatis exquiſita ſane Collectanea Gallico ſermone edidit. Nam ratio naturalis jubet ut libera ſit communicandi facultas, alioqui ſublata hac fiducia remedia non poterunt afferri gliſcentibus malis animiſque exulceratis. Omnium ergo qui negotiandi cauſa mittuntur ſecuritas bona fide, & tacito pacto nititur, etiamſi nullus datus ſit Salvus Conductus; itaque ſeveritas illa qua Philippus II. in Ordinum Belgii Deputatos uſus eſt, probari non poteſt. Fingamus & rebelles milites tubicinem mittere ad Ducem ſuum, tractandi cauſa, certè injuſtè faciet Dux ſi tubicinem jubeat ſuſpendi. Porrò legatus neque ob debita ſpoliari, neque ob crimina puniri poteſt, Domino enim ſuo ſtat caditque, contrario ſemel admiſſo parata erit ſeges prætextuum, ut vario juris colore violari poſſint Legati. Unum hoc cavere fas eſt, ne noceant; itaque quod ſummum licet in Legatos, hoc eſt, ut in honeſtam dentur cuſtodiam, quæ ſecuritati eorum atque dignitati conſulat, atque in Republica malarum artium ſemina ſpargendi facultatem adimat. Poterunt etiam è ditionibus noſtris educi, quando ſuſpecta eorum com-

commoratio eſt, vel dignitati Principis contraria. Scimus Regem Chriſtianiſſimum ſemel in Nuntium Pontificium hac facultate uſum eſſe, cum Injuriæ Legato ſuo Duci Crequio in Romana aula factæ indignaretur: Nuntium enim addita cuſtodia ad Regni fines duci juſſit. Cumque contumeliam ulciſci vellet quam à Battevillio Legato Hiſpano paſſus erat in Anglia Legatus Regius Comes d'Eſtrade, Venſaldagnium Hiſpanum in Gallia Oratorem regno ſtatim excedere juſſit. Itaque Imperator eodem poſtea in Gallicos Miniſtros jure uti voluit cum periculoſa eorum commoratio eſſe videretur. Domeſticorum quoque Legati arbitrium Legato ipſi permittendum eſt, quod ſapienter judicavit Henricus IV. Cùm enim Secretarius Legati Hiſpanici conſpirationi cuidam ſe miſcuiſſet deprehenſuſque eſſet, pleriſque etiam ex Pariſienſi Senatu puniendum hominem velut proditorem cenſentibus; Rex juris gentium intelligentior judicavit, ſatis eſſe nocendi facultatem ſublatam, at pœnam à Domino irrogandam videri; itaque Secretarium Legato puniendum dedi juſſit. Quod mihi non tam quodam generoſitatis motu, quam certa juris ratione factum videtur: quanquam illi ipſi quem paulò ante cum laude allegavi Collectaneorum de Legatis autori ſecus videatur. At Cromwellius pro ſolita ſua violentia vel hypocriſi fratrem Legati Luſitani, inexcuſabilis ſane homicidii reum, publicè ſecuri percuti juſſit, ut plebi ſatisfaceret, zelumque ſuum oſtentaret; in quo jus gentium violaſſe mihi dubium nullum eſt. Quòd ſi ergo nullum in Legati Domeſticos jus eſt Principi ad quem mittitur, ſequitur ipſi Legato, vel ſaltem Domino ejus relictam in eos juriſdictionem; quanquam contumeliam faciant ei ad quem mittuntur ſi commiſſa apud eum à ſuis crimina impunita eſſe patiantur. Quod ſi ergo ſalva eſt Principi vel Domino juriſdictio, etiam in ſuæ Legationis comites, alieno in territorio exiſtentes, multò magis ipſi Principi in alieno agenti, illibata erit ſumma juriſdictio in ſuos, neque proinde Regina Chriſtina jure ſuo abuſa eſt cum de Marchione Monaldeſchio, quem mortis reum judicaverat,

rat, ſupplicium ſumi juſſit, facile enim judicatu eſt eam fuiſſe negotii naturam, ut aliis judicibus commodè committi non poſſet. Et ridiculum erat poſtulare à Regina ut alieno arbitrio permitteret ea quæ ſalva dignitate negligere non poterat. Quod verò Galli rem ægrè ferre viſi ſunt, non aliunde quam ab averſo aulæ animo profectum arbitror: accedebat loci conditio, in quo cædes facta erat, huic enim aliqua certè reverentia debebatur: idque unum credo Reginæ exprobrari potuiſſe, quam tamen fortè neceſſitas feſtinandæ ultionis abſolvit. Sed invitante argumento ad aliena dilabor. Itaque redeundum eſt in viam atque illud concludendum, *Legatum* generali appellatione illum eſſe, qui mandati tabulas publico nomine habet atque incolumitate fruitur, quam illi Jus gentium ex rationis naturalis dictato conceſſit.

b Diſtinguuntur *Legati* vel *Miniſtri* publico nomine miſſi *tum intrinſeca poteſtate*, *tum adjectitio honore*. *Intrinſeca poteſtas* vel in obeundis quibuſdam cæremoniarum ſolennibus; vel in negotii cujuſdam tractatione conſiſtit. Et poteſtas tractandi vel imperfecta eſt cùm ad Dominum referri debet antequam concludi poſſit; vel plena perfectaque eſt poteſtas, cum concludendi negotii jus eſt quod *mandatum cum libera* vocant. Miniſtros autem hujuſmodi, *Plenipotentiarios* appellant. Verum eſt ſanè ſignatis licet per Plenipotentiarios tabulis Dominorum ratihabitionem exſpectari, antequam toti negotio finis impoſitus cenſeatur: illud tamen certum eſt Dominum vi *Literarum Credentialium* ad rata habenda Plenipotentiarii acta obligari; ſi ſecus faxit ſine extrema neceſſitate, eum exiſtimationi ſuæ labem inferre. Hinc vero intelligi poteſt Plenipotentiarii nomen non eſſe honoris ſed poteſtatis; neque ut quidam faciunt Plenipotentiarium Legato characterem habenti opponi poſſe. Nam vel Legatus primi gradus, vel etiam ſecundi ordinis Miniſter mandatum tractandi liberrimum habere poteſt. *Adjectitio honore* diſtinguuntur Miniſtri publico nomine miſſi, in *Legatos* & *Ablegatos*; Illos vocant *Ambaſſadeurs*, hos

hos *Envoyés*. Ambo rurſus *Ordinarii vel Extraordinarii* habentur. *Ordinarii* quibus nullum certum negotium præfixum neque breve tempus conceſſum eſt: *Extraordinarii* qui certæ rei occaſioniſque cauſa mittuntur. Unde ſæpe fit ut ordinario extraordinarius Miniſter ſuperveniat. Errant verò, (ſi quid judico) qui ordinarium ab extraordinario ſpecie dignitatis differre arbitrantur. Videntur in eum errorem inducti, quod ordinario extraordinarius præfertur: Idque verum ſanè, ſed ea credo occaſione introductum, quod plerumque etiam ordinario extraordinarius ſupervenit, & uſu receptum eſt, ut ex duobus ejuſdem Domini Miniſtris cætera paribus, ille præferatur qui noviſſimus venit; unde mirum non fuit extraordinarios plerumque prælatos, quod denique in jus abiit; præſertim cùm extraordinarii & majoris eſſe ſoleant dignitatis homines & abſolvendis magni momenti negotiis vel obeundis publicis honoribus deſtinati; ac vel ideo plus ſplendoris oſtentare poſſint, quod exiguo tempore ferè curſum abſolvunt. Sed etſi Legatus extraordinarius Ordinario ejuſdem Domini ſemper præferatur, non ideo diverſa conſtituitur dignitatis ſpecies, niſi extraordinarium Domini majoris Ordinario minoris præponamus, quod credo non concedetur. *Reſidentem* infra Ablegatum ponunt & inter Miniſtros publicos recenſent: & videtur ſanè *Reſidens* nihil aliud eſſe quàm Ablegatus ordinarius, *Envoyé ordinaire*; alioqui fruſtra alios vocabimus *Envoyés Extraordinaires*, ſi nulli ſunt ordinarii qui illis opponuntur. At *Agentem* non item inter Miniſtros habent, hic enim literas *credentiales* nullas fert, ſed ad ſummum *recommendatitias*; neque enim cum Principe ejuſque Miniſtris de Republica tractat, ſed cum Judicibus aliiſque Magiſtratibus aut etiam privatis, de aliis planè rebus; nec aliud agit quàm quod Mercator quivis facile præſtet. *Conſules* Mercatorum alterius ſunt naturæ. Nam præterquam quòd Agentes cenſeri poſſunt, ſive negotiorum geſtores; habent quandam permiſſu Principis juriſdictionis ſpeciem in ſuæ nationis mercatores. *Commiſſarii* ſunt Miniſtri publici juriſ-

Digitized by Google

juriſdictionem ejus à quo miſſi ſunt non egredientes. Hæc ratio eſt cur Cæſaris Miniſtri in Germania *Commiſſarii* appellantur. Certum eſt enim aliquam Cæſari in toto imperio juriſdictionem competere quam nihil pugnare cum Principum Suprematu infra oſtendemus. Tales olim erant Miſſi Dominici & Apoſtolici: illi à Cæſare vel Rege, hi à Papa. *Deputati* appellari ſolent Miniſtri ab illis miſſi qui unum conſtituunt corpus; ita Provinciæ ſingulæ Belgii Fœderati mittunt Deputatos ſalvo jure libertatis ſive Suprematus quod unaquæque Provincia ſibi vindicat: ita miſſi ab imperii Ordinibus ad Conventus publicos, *Deputati* vocari ſolent, de quo pluribus infra. Et videntur olim Deputati fuiſſe dicti, illi omnes qui ad aliquem congreſſum ſive conventum deſtinantur: unde Legatos etiam Regios, Gallos, Angloſque, Deputatorum nomen æquo animo tuliſſe certum eſt, quemadmodum patet ex præſidis Johannini Negotiationibus, ubi duorum Regum & quorundam Principum Legati ideò miſſi ut pacis vel induciarum inter Hiſpanos & Fœderatos tractationi aſſiſterent, ſæpiſſimè appellantur Deputati; idque haud dubiè, quoniam unum inter ſe corpus formabant & communi conſilio ac nomine literas expediebant. Nonnunquam & Deputati dici ſolent non qui ad conventum aliquem ſed qui ex Corpore aliquo ſive Conventu deputantur; unde hodieque in Urbibus & Rebuspublicis frequentius nomen Deputatorum & in Gallia Ablegati Hanſæ Teutonicæ vocabuntur *Ambaſſadeurs Deputez.* Ex quo judicari poteſt quam parum conſtans horum nominum uſus fuerit.

CAP. VII.

Legatus (primi Ordinis ſcilicet) ſeu Ambaſciator qui habet characterem repræſentatitium. *Hujus ea eſt vis ut iiſdem (proportione) honoribus gaudeat Domino qui habentur, in quantum Legatum Domino ſuccedere uſus ac ratio patitur.*

EXplicatis in ſumma Miniſtrorum publico nomine miſſorum diſcriminibus, inſiſtendum eſt illi potiſſimum,

quo conſtituitur Legatus primi ordinis ſive Ambaſciator quem charactere repræſentatitio inſtructum dicunt. *Character repræſentatitius* quid rei ſit paulò altius repeti debet. Qui ad obeunda ſolennia funebria, nuptialia, baptiſmalia, ad præſtandum hominium, ad Coronationes aliaſque publicas cæremonias veniunt, ut illum ad quem aut à quo mittuntur præſentia ſua honorent, actuique interveniant; illos perſonam Domini repræſentare conſentaneum eſt, id eſt eo in loco collocari qui Domini eſſet; & illis honoribus affici qui Domino haberentur, quouſque ſcilicet ratio miniſtrum Domino ſuccedere patitur. Quam ſanè exceptionem addi debere mox patebit. Hinc jam intelligi poteſt in hoc negotio non haberi rationem mediocritatis ejus qui miſſus eſt, ſed dignitatis ejus qui miſit, quare ridicula fuit Legati Gallici querela qui ſub Franciſco I. Romam miſſus Domino ſuo ſuadebat, ut impoſterum Legatos mitteret Marchionesalioſque propria dignitate ſplendentes, ne ſcilicet Legatus Regius non ſine Domini contumelia longo poſt Hiſpanicos intervallo in multitudine velut lateret: unde rectè colligitur ab autore Collectaneorum de Legatis, vel parum eo tempore ſtabilitum fuiſſe jus repræſentationis, vel Legatum ſui juris mirè ignarum fuiſſe. Hoc tamen ita intelligendum eſt; ut Legationis honor Legato addat quidem, non tamen adimat dignitatem: conſtat enim & legatis natu Principibus Celſitudinem (*Alteſſe*) & Cardinalibus *Eminentiam* & quicquid inde honoris fluit, conſervari. *Legatus* ergo *primi Ordinis* eſt, qui miſſus eſt ab habente Suprematum cum charactere repræſentatitio. *Character repræſentatitius* eſt jus fruendi iiſdem honoribus quibus frueretur is qui repræſentatur, ſi præſens eſſet, in quantum fert ratio aut conſuetudo. Dico, is *qui repræſentatur*; non is, qui miſit. Neque enim character repræſentatitius eſt in Legatis tantum ſed & etiam vicariis, quales illi ſunt quos hodie *Vice-Reges* vocant, aut in illis quos Germani vocant Statthalter / Ungari *Palatinos*, Sueci Trotſet ſeu Troſt id eſt Regis Sedem

(Sitz)

(Siß) locumve tenentes, Trot enim vetere lingua etiam Germanica regem eſſe judicari poteſt, quoniam hodieque Trotning Suecis Regina eſt.

CAP. VIII.

a *Itaque non per omnia ſuccedit; exempli cauſa cedit aliis præſentibus, Domino ſuo quoad Suprematum ſaltem æqualibus. Exceptis actibus curialibus, cum Domini nomine aliquas functiones exercet; ubi non cedet. Et hoc ſenſu aliquando verum eſt Legatos Electorales præcedere ipſos Principes. Quamquam autem Legati Regii aliquando nec in loco tertio cedere voluerint Electoribus, (ut Nuntius & Hiſpanus Francofurti;) hoc tamen non probatur, cum nec Principes illis cedant in domo ſua.*

b *Legati charactere veſtiti habent* Excellentiæ *titulum: is olim Principibus tribuebatur. Nuntius eum negat Legatis Eccleſiaſticis. Minus debet & ſolet eſſe diſcrimen inter miſſos quàm mittentes. Legatis competit jus ſe tegendi coram Regibus, etſi nondum id conceſſum in Gallia Electoralibus.*

a ADdo repræſentationem non ultra valere quam in quantum fert *ratio aut conſuetudo*. Nimirum ſi quis miſſus ſit ut alicui actui ſolenni nomine Principis interſit, iiſdem quibus Princeps honoribus excipietur, niſi quid obſtet: exempli cauſa, niſi alius adſit Domino æqualis aut aliæ inde abſurditates naſcantur. Itaque nunquam auditum eſt Generalem Regis locum tenentem, (quales in Gallia eſſe volebat Dux Meduanus tempore fœderis quod Ligam vocabant, aut qualis poſtea Aurelianenſis Regis nunc regnantis patruus fuit,) locum Regis in Senatu capere voluiſſe, quem vocant, *Lit de juſtice*; & conſtat Ligæ tempore Cardinalem Cajetanum Legatum à latere ad ſedem Regiam euntem à Præſide Briſſonio fuiſſe retentum. Ipſi Cardinali Barberino, Legato à latere negatum eſt Hiſpa-

Digitized by Google

nia jus Uraniſci ſeu portatilis cœli(*le Dais*)qui profectò non fuiſſet negatus ipſi Papæ: unde intelligitur nullum Principem Legatis dare poſſe perfectæ Repræſentationis characterem neque Legatum unquam eodem per omnia quo Princeps honore affectum: ita Legati Regii aliis Regibus ubique cedunt: ubique inquam, id eſt non tantum in loco tertio, ſed & in domo ipſorum Regum ad quos mittuntur; & Legati à latere, licet à majore Regibus, ſcilicet à Pontifice, miſſi, ipſis Regibus quodammodo faſces ſubmittunt. Unde in Gallia non poſſunt ſibi præferri jubere crucem erectam juriſdictionis notam, eo in loco ubi Rex præſens eſt. Manifeſta autem ratio eſt cur Legatus Regius exigere nequeat ut Rex ad quem miſſus eſt ei in domo ſua honoratiorem locum concedat: nam hoc grave futurum erat Regibus ipſis mittentibus, ſi Legati eorum adeò dignitatem Regiam vilem haberent, licet in alio Rege. Ejuſdem rei illuſtre exemplum habemus in Electione Imperatoris. Videmus enim Legatum Electoris intervenire Conſeſſui quidem, cum Imperator nominandus eſt, aliosque ſolennes actus exercere, ſed cæteris Electoribus cedere. Idem eſt in Conventu Ordinum. Cum enim in Comitiis Ratisbonenſibus anni 1653. ſolus Electorum Carolus Ludovicus Palatinus præſens eſſet, Legati cæterorum in Electorali Collegio dubitabant an noviſſimo Electorum cedere deberent? ſed re deliberata Dominiſque conſultis concluſum eſt, ut Legati cederent Electori præſenti: & in Collegio Principum non niſi de novis Principibus dubitatum eſt, an non Legatis aliorum cedere deberent. Neque dubium eſt legatos Electorum cedere Principibus debere, ac ne quidem in Domo Principum honoratiorem exigere locum poſſe: nam quod in Coronatione Caroli V. controverſia fuit inter Guilielmum Ducem Clivienſem & Legatos Electoris Saxoniæ quæ pompam in multam noctem produxit, id tunc ſane cum tota actus ſolennitas ad Electores pertineret, minùs mirum videri debuit, Legatos Electorum à cæteris Electoribus avelli ac ſeparari noluiſſe,

neque

neque enim ſingulorum per ſe, ſed totius Electorum corporis ratio habenda erat. Cæteroquin tantùm abeſt ut Legati Electorum Principibus in loco tertio præferantur, ut ne apud ipſos quidem Principes honoratiorem obtineant locum: quanquam hæc olim parum certa ac definita eſſent, civilitati enim arbitrariæ potius quam certo juri dabantur, donec ab exteris artem hanc cæremonialem didicimus. Conſtat enim eundem Principem, quem Electorum Legatis negaverat honoratiorem apud ſe locum, aliquando alterius Principis Legatis dediſſe; idemque de Regiis Legatis dicendum eſt, quibus Electores ac Principes Germaniæ nihil ultra impoſterum quàm Reges alii dabunt, ubi civilitates ſæpe nimis effuſas in jus trahi, nec viciſſim à Regibus dignitatis Principum rationem haberi intelligent. Cum Carolus V. Aquiſgrani coronaretur, Nuntius Pontificis & Legatus Regis Angliæ ſolemnibus abſtinuere, ne Electoribus cedere cogerentur; quinimò in nupera Leopoldi coronatione *La matina del primo di Agoſto 1658. à buon hora ſi trasferirono alla chieſa il Nuntio e li due Ambaſciatori di Spagna per sfuggire le Competenze con gli Elettori*, ut ait autor Hiſtoriæ Leopoldi; quæ ideò adduco ut appareat, falli eos qui putant in eo Electores à Principibus diſtingui, quod illis cedat Nuntius Apoſtolicus aut Regius Legatus, his non cedat. Quanquam ridiculum ſit Legatos Regios tale quiddam apud Electores & Sereniſſimos Principes Germaniæ moliri: quomodo enim illis præferri poſtulant, quorum Legatis non ubique præferuntur, aut potius quorum Legatis præferuntur quidem in loco tertio, ſed in domo ſua cedunt. Regula ergo certa ſtabilienda eſt, *Legatum habentis ſupremhim Principi ipſi Suprematum habenti ubique cedere debere*, velut *fratri* Domini ſui, non qualitate, ſed ad ſummum quodam ut ita dicam majoratus tantum ſive primogenituræ jure diſtincti. Certum eſt Electores & Principes ejuſdem ſpeciei poſſidere Suprematum, quemadmodum jam ſupra demonſtratum eſt, & infra oſtendetur uberius: certum eſt rurſus, Electores à Regibus non differre

 ſpecie

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſpecie Suprematus (ex confeſſione ipſorum Regum, qui nuper Legatos Electorales & Italos ſuis æquavere:) Ergo concluditur, nec Principes à Regibus ea re diſtingui poſſe: quamquam alioqui Dignitas Regia à Ducali, & Electoralis à Principali differat. Hinc porrò intelligi poteſt, quantopere character repræſentatitius uſu arctetur, & quam non ſit in poteſtate Regis ullius talem Legato ſuo characterem dare, quo inſtructus etiam perſonaliſſima Domini ſui privilegia repræſentet, alterique Suprematum habenti, ſed Domino ſuo cedenti, ullo in loco præferatur. Neque enim video quo jure poſſit aliquis vindicare ſibi poteſtatem tranferendi in alium, quæ ſunt merè perſonalia, honores ſcilicet qui non niſi præſenti habentur, cum enim oneroſum ſit & plenum incommodis, Principes præſentes colere, utique multiplicare hoc onus alteri poteſt nemo: quid enim futurum eſſet importunius, quam tot imaginarios Reges, quibus omnia deferre oporteat, videre in aula noſtra, quot ad nos Legatos cum ſummo charactere Regibus quibuſdam mittere placuerit? Ergo neceſſe erat arctari characterem repræſentatitium & ad ea tantum referri, quæ neque oneroſa aliis, neque ipſi dignitati communi mittentis atque recipientis gravia eſſent. Idque jam tacito uſu introductum eſt, egregio temperamento ut ſcilicet Legatus primi licet Ordinis, Domini ſui æqualibus ubique cedat, aliis pleriſque præferatur. Æquales autem intelligendos dixi, licet non dignitate, attamen dignitatis qualitate, qui ſcilicet jure Suprematûs fruuntur, & in Chriſtiano orbe rerum ſummæ præſunt, in ſuis quiſque terris. Hi enim, ut dixi, omnes *fratres* habendi ſunt, quanquam ordine honoris diſtinguantur. Quemadmodum fratres ſibi cedunt ordine ætatis, etiamſi jure familiæ pares habeantur. Aliis autem pleriſque anteferri Legatum dixi. Pleriſque, inquam, licet non omnibus: nam variæ rationes alios ſubinde limites præſcribunt; ſcimus enim Legatos ſæpe ſolitos peculiarem habere honorem cognatis ſuorum Dominorum, unde ortæ aliquando perplexitates, quando ille ipſe cognatus aliis cedit, quemadmodum Legatus Anglus cedit Prin-

Principi Auraico, Gallus non cedit, nec Anglus Gallo. Cedere autem atque præferri, cùm abſolutè ponuntur, intelligi debent *in loco quem tertium vocant*, id eſt, qui ad neutrum eorum de quibus agitur pertinet; nam alioqui ſæpe fit ut quibus Legatus in loco tertio cederet, eis præferatur apud ipſos, & qui Legato cederent alibi, apud ipſum honoris ergo primo ſint loco, quemadmodum videmus inter Legatos duorum Dominorum etiam ſibi cedentium obſervari; idemque ſemper locum habere debet quoties duo illi de quibus agitur non ſpecie ſive quantitate ſed gradu tantum dignitatis diſtinguuntur. Quòd autem dixi Legatos Domini etiam minoris, modo Suprematum habeat, apud alterius Domini Legatos honoratiorem locum (*la place d'honneur*) habere, generale eſſe debet: nam ſcimus Legatos olim Regis Galliæ apud Venetos, Avauxium & Tuillerium, etiam cum *Excellentiam* Fœderatorum Ordinum Legatis negarent, locum dediſſe, nec video quo juris colore Gallici Hiſpanicique Legati quod alibi concedunt Legatis non Regum, Romæ tantùm negent: ſed in talibus recepta ſemel, atque ab omnibus tolerata conſuetudo pro ratione eſt.

b Ex his ergo intelligi poſſe arbitror, quæ ſit vis & natura Repræſentationis, quam character Legato confert. Nimirum ut non niſi illis ubique cedat qui eandem dignitatis ſpeciem habent quam Dominus qui miſit, nempe Suprematum: utque aliis Legatis à Domino majore vel minore, ſed eandem dignitatis ſpeciem habente miſſis in loco tertio præferatur aut poſtponatur prout Domini facerent, cedat domi ſuæ, apud ipſos præferatur. Item ut alia Legati illi inter ſe obſervent, quæ qualitate ſive ſpecie dignitatis æquales decent; ex quibus illud eſt, ut noviſſimo venienti adventumque ſignificanti honor primæ viſitationis à cæteris habeatur ut qui alterum inviſit, in aditu ædium excipiatur: denique ut titulis quoque iiſdem decorentur. Receptus eſt autem *Excellentiæ titulus* inter Legatos ſub initium hujus ſeculi. Res enim in Pace Monaſterienſi nova videbatur Germanis, &

olim titulum fuiſſe Regium ſcimus aut ſummis Principibus datum; nam & Angli hodieque Regi eum tribuunt ſuo, (*The Kings moſt excellent Majeſty*) & Regibus Galliæ atque Hiſpaniæ datur in Tractatibus Pacis Pyrenææ, & in titulis Principum veteri ſtylo ſcriptis, hoc legetur; *Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Principi*; quæ hodie uſus in *Serenitatem* ac *Celſitudinem* commutavit. Idem titulus etiam Exercituum Ducibus hodie datur, & primariis Status Miniſtris. Sed in Italia major ejus habetur ratio: nam dabatur Principum regnantium cognatis quibus in Gallia Celſitudo (*Alteſſe*) non negata. Nuntius Apoſtolicus *Excellentiæ* titulum non tribuit Eccleſiaſticis, & fruſtra fuere Colonienſes Legati, qui in Comitiis Electoralibus Francofurtenſibus Illuſtriſſimos ſe tantum ab eo vocari ægrius ferebant, quo exemplo mirum non fuiſſet ſi Legati Cæſarei Electoralibus *Excellentiam* negaſſent. Excellentiæ tamen titulum omnibus ſine diſcrimine Legatis primi ordinis dari, hodie rationi conſentaneum eſt, tametſi Domini eorum titulis diſtinguantur, aliiſque Majeſtas, aliis tantum Serenitas detur. Neque enim putandum eſt ſummo quodam rigore eam inter Legatos analogiam ſervari quæ Dominis proportione intercedit. Nam ſi hoc ita eſſet, qua rationis ſpecie conceſſiſſet Cæſar, ut Brandeburgicis Legatis apud ſuos honoratior locus eſſet, quem certè non concederet Brandeburgico apud ſe: quare falluntur qui ab illis honoribus, quos Electores vel Principes Cæſari aut Regibus deferunt, eadem plane Legatorum diſcrimina moliuntur; ſolent enim eſſe minora quàm Dominorum. Cæterum aliud quodque receptum eſt *Legati repræſentantis jus ut ſe tegat coram Regibus*. Hoc Gallia dudum non Venetis tantùm, ſed & Sabaudis, Florentinis, & quibus non aliis Italorum Principum Legatis conceſſit; Principibus vero & Electoribus Germaniæ, quibus cedit ipſe Sabaudus, aut pari jure eſt, negavit, nulla certè rationis ſpecie. Cùm enim Elector Bavariæ Maximilianus in Galliam Legatos cum ſummo charactere miſiſſet, negatus eſt illis non tantum introi-

tus

Digitized by Google

tus honor, ſed & poteſtas ſe tegendi coram Rege, nullo alio juris colore quam quod hoc non eſſet conceſſurus Imperator: quod parum validum erat argumentum. Nam Legati Gallici Monaſterii Legato Sabaudo *Excellentiæ* appellationem dedere, quam Cæſarei conſtanter negaverant. Cæteras Legatorum repræſentantium minutiores prærogativas cæremoniaſque attingere nihil attinet, neque enim libellum cæremonialem ſcribimus, & qui *primæ viſitationis honorem, Excellentiæ titulum* &, cùm acceptum viſitationis honorem reddet, *honoratiorem locum* habebit, huic cætera uſu recepta non negabuntur.

CAP. IX.

Jus Principum noſtrorum mittendi Legatos cum charactere probatur primum ratione ſumta ex natura Suprematus *ipſis competentis. Nec Juriſconſulti nec Philoſophi ſatis explicuere Suprematum, quia ſcriptores eruditi plerumque vetera magis quam hodierna tractant.*

INtellecto jam quid Legatis ſuis cum ſummo charactere miſſis tribui velint Germaniæ Principes, diſcutiendum eſt accuratius & quo jure poſtulent, & an poſſeſſione nitantur; nam in his rebus fatendum eſt partem juris facere ipſam poſſeſſionem, *Principes Germaniæ habere jus Legationis in ſolidum*, oſtendemus & ratione & exemplo. *Ratione*, quia habent Suprematum in ſuis ditionibus; *Exemplo*, tum *alieno*, Electorum ſcilicet & Italiæ Principum, *tum proprio*, quod ad poſſeſſionem pertinet, quam noviſſime ſubtexere ſatis erit, ut appareat etſi incurioſiores ſæpe juris ſui Principes noſtros quam par ſit, non tamen ſemper dignitatis oblitos, & nunc ubi facilitas eorum priſtina controverſiam naſci fecit, tuendo juri pares eſſe. A rationibus autem ordiemur, quas apud omnes prudentes valere maximè arbitror, cum vulgus tantùm exemplis ducatur. Omnes autem ab uno fluunt fonte Suprematus, cujus explicanda primum natura eſt,

deinde Principibus Germaniæ rectè tribui demonſtrandum. In explicando *Suprematu* difficilem me provinciam ſuſcepiſſe fateor, &, quod quis miretur, in re tam vulgata propè intactam. Cujus rei ratio eſt, quod illi qui ad ſcribendum plerumque animum appellunt, miſerabili ingeniorum morbo non niſi vetera crepant, quorum noſtris temporibus vix apparent veſtigia, recentium incurioſi: de quibuſdam Juriſperitis vulgaribus, hoc non miror; illis enim omnis ſapientia in uno Romani juris Corpore concluſa videtur; experientia autem rerum humanarum, ſi quam habent, forenſis auditorii cancellos non egreditur: unde nonnunquam de Publicò & Gentium jure miſera ſunt eorum judicia. Hos ergo Cæſarem pro Domino Mundi; Principes noſtros pro Præſidibus Provinciarum licet perpetuis & hæreditariis, habere, mirum non eſt: neque ab his aliquid magnopere exſpectes illuſtrando publico juri, quod nunc viget. Sed illud ſemper miratus ſum, illuſtres dignitate & rebus geſtis & eruditione viros, cùm ad ſcribendum acceſſêre, maluiſſe eruditionis ſuæ documenta dare, quam experientiæ atque judicii. Nam quæ paululum à Romanis Græciſque formulis abeunt, ea vix nominare audent; videas documenta & præcepta tradi non alia quàm quæ alicujus Poëtæ aut Oratoris autoritate firmari poſſint; & exempla adhiberi ex ſola vetere Hiſtoria anquiſita: quæ res facit ut libri ejuſmodi à viris pragmaticis (quicunque nondum juvenes hoc velut guſtu antiquitatis imbuti ſunt) velut inutiles, aut certè ſteriles, ſpernantur. Quid eruditius aut elegantius quam quæ egregius ſane vir, Carolus Paſcalius reliquit in libro de Legato: ſed fallitur profectò qui legatum aliquem inde multum luminis haurire poſſe putet, quo rectius munere ſuo fungatur aut difficultates oblatas ſuperet. Nec tamen deerat illi viro notitia rerum quæ in uſu verſantur, nam & legatione Rhætica functum ipſummet ſcimus; quare nihil aliud quod accuſem habeo quam illius temporis morbum, qui frigidam hanc eruditionis affectationem exigebat. Fatendum eſt Hugonem Grotium Eximium virum, majorem uſus rationem habuiſſe, & quæ ex omni Hiſtoria

ſtoria ac veterum monumentis ſelegit præclarè accommodaſſe ad regulas conſtituendas quæ nunc quoque vim habent. Poterat tamen utilior eſſe ſeculo, ſi ſepoſita aliquando gravitate qua ſemper ad illud eruditionis culmen aſſurgit, quo pauci fateor accedere poſſunt, familiariorem ſe reddidiſſet nobis atque ea ſubinde tractaſſet quæ Magnis illis viris pro minutiis habentur; at nobis, (ut nunc ſunt, credoque ſemper erunt res humanæ) graves ſæpe difficultates pariunt: quemadmodum faciunt cæremoniæ, tituli, receptæ quædam conſuetudines, & obſervationes nonnullæ viles in ſpeciem, effectu magnæ. Nimirum ſunt multa quorum ſcientia à nemine laudatur, ab omnibus tamen requiritur. Talia non ſolent attingere autores, qui gloriæ potius ſuæ quam lectoris utilitati velificantur. Scilicet eruditio plerumque ad ſplendorem dirigitur, non ad uſum: præclara præcepta moralia, pulchra dicta, apophthegmata egregia, tum elegantiſſima exempla frequentantur, quæ ſcilicet dicenti ſcribentique aliquam gratiam conciliant: de illis verò quæ magis in vivendo profutura, quàm in dicendo pulchra ſunt, altum ſilentium. Quare ego ſæpe dicere ſum ſolitus plus in aliquo libro vulgari, quem magni illi homines noſtri velut mechanicum damnant, qualis eſt OEconomicæ, aut artis ſellulariæ ſcriptor quiſpiam abjectus, veræ utiliſque doctrinæ eſſe, quàm in Theatro vitæ humanæ, ne dicam in integra ſæpe Bibliotheca. Hoc ergo eruditorum vitio factum eſt, ut hodie plus pene utilitatis hauriatur ex libris, vernaculo variarum gentium ſermone à mediocribus admodum autoribus conſcriptis, quam ex doctiſſimis lucubrationibus. Et plus ex Novellarum publicarum unius decennii collectaneis diſcetur quam ex centum auctoribus claſſicis. Quare mirum non eſt ſi de Suprematu dicturo, quem vulgò vocant *la Souveraineté*, auxilia bonorum autorum deſunt: dum interea de Civitate, de Majeſtate, de formis Rerumpublicarum mille voluminibus omnia perſtrepunt.

CAP.

Cap. X.

Civitas *eſt*, *ubi ſecuritatis cauſa cohabitatio atque adminiſtratio communis eſt*. Ditio, *terræ tractus*, *qui ſi major*, Regio *vocatur*. Territorium, *nomen his commune*. Dominus Juriſdictionis *eſt qui poteſtatem habet coërcendi privatos*. Dominus Territorii *verò etiam totam communitatem militari manu in officio continere poteſt*. *Tametſi autem quædam in territorio jura vel regalia alteri ſint* Reſervata, *nihilominus* Superioritas Territorialis *ſalva manet*, *modo Domino ſuperſit poteſtas manus militaris & reditus ſufficiens ad alendos potentiæ Miniſtros*. *Quod ſi territorium tam ſit amplum aut potens ut aliquid momenti conferat ad rerum ſummam*, Suprematus *à me vocatur*, *& qui eum tenent* Souverains *vel* Potentats *quorum* perſonæ *ac* familia inviolabilis & ditio *privatorum* commercio *ferè* exempta *cenſetur*.

De *Suprematu* dicturus cogor attingere, quid ſit Civitas, quid Reſpublica, quid Libertas, quid ſumma Poteſtas; quid Regalia, quid jus Superioritatis territorialis, quid Reſervata, quid Unio plurium Rerumpublicarum. *Civitas* eſſe videtur cœtus hominum ſatis magnus ad ſpem defenſionis mutuæ contra vim magnam, qualis metui ſolet, animo cohabitandi, certa quadam rerum communium adminiſtratione conſtituta, initus. Familiæ, imò & vico ſive pago ex aliquot familiis compoſito deeſt magnitudo; Exercitibus, vel magnæ cuidam ſocietati caſu conflatæ, quales ſunt Caravanæ in itineribus Aſiaticis, deeſt animus cohabitandi. Illi qui Ariſtotelis lingua hodieque loqui ſolent, integra regna appellant Civitates; quod neſcio an ſatis conſentaneum ſit ipſi Ariſtoteli, qui Regnum Perſarum credo non appellaſſet πόλιν, & Babylonem ob magnitudinem non civitatem eſſe dixit, ſed gentem. Civitas videtur requirere coha-

cohabitationem ita ut cives facile congregari poſſint ſigno dato. Civitas autem aut ſui aut alieni juris eſt. *Ditio* eſt quidam terræ habitatæ tractus communi quadam adminiſtratione utens; major ditio *Regio* vocatur, & Regio cum alterius ditionis adhuc majoris pars eſt, *Provincia* dicitur. *Territorium* commune eſt nomen civitati vel ditioni, ſive terræ tractui; ſed præter rem ſubjectam, etiam jurium aggregatum exprimit, ita ut quemadmodum hæreditas & patrimonium quandam rerum juriumque in familia aliqua ſive domicilio univerſitatem continent, ita Territorium univerſitatem jurium quæ in portionem terræ habitatam competere poteſt, ſignificet. Hinc illud oritur quod Juriſconſulti Germani vocant *Superioritatem territorialem*, vel *ſublime territorii jus*; ſed & ante eos Itali; & memoratur Baldi dictum, qui ajebat Superioritatem inhærere territorio, ut nebulam paludi. Porro in hoc Jure præter *Juriſdictionem & levem coërcendi poteſtatem* etiam *Jus manus militaris* continetur. Quæ omnia quo crebrius confunduntur, hoc diſtinguenda ſunt accuratius. Aliud enim eſt *Dominus juriſdictionis*, aliud *Dominus territorii*. Juriſdictionem voco *poteſtatem de cauſis ſtatuendi, ſive Jus dicendi & contumaces Privatos coërcendi*. Coërcendi poteſtatem (Juriſconſulti veteres *Imperium* vocabant) eſſe dico, cum, ubi opus, vim in refractarios adhibere licet. At *Jus manus militaris* eſt aliquid longè ſublimius ſimplici coërcendi poteſtate; coërcere enim refractarios privatos licet adhibitis paucis Juſtitiæ Miniſtris, vel etiam, ubi opus, convocatis in opem civibus. At jus manus militaris voco, cum in poteſtate eſt hoc Jus habenti colligere manum militum, quæ ad totam ditionem in officio continendam ſit ſatis. Itaque alicujus Vici vel Burgi Dominus poteſt omnem habere juriſdictionem, poteſt capitis ſupplicio punire, poteſt per lictores, & ſi opus, collectam civium vel ruſticorum manum, privatos aliquot contumaces redigere in ordinem; ſed conſcribere militem, tormenta majora ducere, aliaque facere quibus totum illum tractum ad imperata cogere queat, non poteſt.

Digitized by Google

teſt. Itaque eo caſu, quo non contra paucos quoſdam refractarios, ſed totam aliquam communitatem expedienda vis erit, Dominum territorii implorabit. Hæc qui accuratè conſiderabit, Superioritatem territorialem in ſummo cogendi ſive coercendi Jure conſiſtere videbit, quæ tantum a ſimplici coërcendi facultate differt, quantùm in Legibus Romanis *vis publica à privata*. Ubi tamen illud notari debet etiam ſine milite hoc Jus retineri poſſe, ſola hominum opinione, id eſt obſequio, cultu, autoritate, quæ tantundem ac ſæpe plus ipſa vi poſſunt, quoties ſcilicet communis ſubditorum fert opinio, parendum eſſe: tunc enim ſufficit exiguam adeſſe manum, quæ primis ſaltem paucorum turbatorum motibus opponi poſſit. Interea ſufficit adhibendæ vis majoris confeſſam eſſe poteſtatem ubi opus ſit. Hoc porrò Jus non Principibus tantùm Imperii, ſed & Comitibus competit. De Urbibus liberis diu fuit olim dubitatum, ſed noviſſimè, Pace imprimis Monaſterienſi, definita quæſtio videtur. Et hoc quod nos vocamus *Superioritatem territorialem* idem cum eo eſſe videtur quod Galli etiam vocant *la Souveraineté* laxiore nonnihil ſenſu: quales ſunt *la Souveraineté de Neuf-caſtel de M. de Longueville; la Souveraineté de Dombes qui appartient à la maiſon de Montpenſier, la Souveraineté de Sedan de Meſſieurs de Bouillon, la Souveraineté de Bidache qui eſt au Mareſchal de Grammont.* Intellecto autem ſemel Superioritatem territorialem in ſummo ſubditos coërcendi Jure conſiſtere, patet primum in ea contineri plenum omnia alia imperandi arbitrium, quatenus ea non expreſſe excipiuntur alterive *reſervantur*, unde dixi ſupra, territoriale Jus in quadam Jurium Univerſitate conſiſtere. Patet deinde multa, ut vocant, *Regalia* excipi vel pactis expreſſis ac ſæpe juratis vel Provinciæ conſuetudine, & nihilominus Superioritatem territorialem ſalvam manere. Itaque poteſt fieri ut alius in territorio noſtro habeat jus Venationis, jus fodinarum, jus aperturæ, jus conducendi, jus vectigalium; quinimo jus altæ juriſdictionis, ſive jus ſtatuendi de criminibus capitalibus atque ſupplicium ſumendi de

de condemnatis; ſed & jus ſupremæ ut vocant inſtantiæ, ſeu ad ipſum ab eo qui Superioritatem territorialem habet provocari poſſit; ſed & Dominus territorii poteſt carere jure ſignandæ monetæ, jure indicendi tributa pro arbitrio; jure ſtruendi munimenta, aliiſque multis. Modo id qualecunque jus, quod habet reliquum, vel auctoritate, vel, ubi opus, vi majore à ſubditis obtinere ipſi in promptu ſit. Etſi autem omnia alia adimantur jura vel Regalia, ſufficit tantum remanere juriſdictionis, quantum ſatis eſt ad tuendam in ſubditos auctoritatem; & tantum reditus quantum opus eſt ad ſuſtentandam pro dignitate familiam alendoſque potentiæ Miniſtros. Porrò quamquam hujuſmodi minora territoria appellari ſoleant *Souverainetés*; communiore tamen ſenſu vocabulum hoc paulo *arctius* adſtringitur, & illi tantùm vocantur *Souverains ou Potentats*, qui territorium majus habent, exercitumque educere poſſunt; atque hoc demum illud eſt quod ego voco *Suprematum*, & Gallos quoque arbitror, cum de rebus ad jus gentium ſpectantibus, pace, bello, fœderibus ſermo eſt, & ipſi aliquos vocant *Souverains*, eos non de urbibus liberis loqui nec exiguorum territoriorum Dominis quæ facile etiam dives Mercator ſibi emere poteſt, ſed de majoribus illis poteſtatibus quæ bellum inferre, bellum ſuſtinere, propria quodammodo vi ſtare, fœdera pangere, rebus aliarum gentium cum auctoritate intervenire poſſunt, quæ quodammodo commercio privatorum exemptæ ſunt, & ut nunc ſunt res humanæ ad homines inferiores & minoris conditionis, (exceptis Principum Eccleſiaſticorum Electionibus) non facilè perveniunt. Unde fit ut qui in hoc ſunt culmine à cæteris Poteſtatibus Majoribus, terrarumque & gentium Dominis & rerum humanarum arbitris quodammodo ut fratres & conditione æquales (licet magno potentiæ intervallo inferiores) honorentur, & ab illis non ſpecie, ſed gradu tantum dignitatis differre intelligantur. Jam & ubi in familia quadam jus illud hæret, fit ut ea quodammodo cæterorum hominum ſortem ſupergreſſa videatur, & perſonæ

ſonæ ſacræ atque inviolabiles cenſeantur, quod perſonæ Privilegium non illi tantum proprium eſt, qui caput eſt domus, & quem regnantem vocant, ſed & reliquis aliqua ratione communicatur, qui ſolam ſpem habent ſucceſſionis & qui dicuntur *Princes d'une Maiſon Souveraine*.

Cap. XI.

Unio plurium territoriorum in unum corpus. Suprematus ſingulorum non obſtat unitati Reipublicæ. Comparatio Belgii Fœderati & Imperii quatenus procedat. Hobbii ſententia examinatur; nullibi extat Reſpublica qualem ille definit; ſecundum ipſum noſtræ omnes ſunt Anarchiæ meræ. Nec Galliæ Rex imo nec Turcarum Sultanus revera plane abſolutus.

CÆterum plura territoria *uniri* poſſunt in unum corpus, ſalva ſingulorum ſuperioritate territoriali, cujus rei manifeſta in Imperio, in Helvetico Corpore & in Unitis Provinciis exempla habemus; nam ſi ſingulis regionibus jus ſit proprium habendi militis quo continere ſubditos in officio poſſit, *territorii jus* ſibi conſtat. Quod ſi præterea & cum exteris inire fœdera poſſunt ſingulæ, & exercitus conſcribere, armaque expedire, quibus ſibi apud vicinos quoque autoritatem parent, quod poſſunt Germaniæ Principes; manifeſtum eſt, non obſtante *unione*, in unaquaque Regione ſupereſſe id quod *Suprematum* definivi. Multum autem intereſt inter *Confœderationem* & *Unionem*, quemadmodum inter *Societatem* & *Collegium*. Societas eſt plurium, cùm res in ſortem collata ſingulorum eſt, lucrum inter omnes dividitur: ſed in Corpore vel Collegio nova quædam perſona civilis conſtituitur, & quæ in commune ærarium illata ſunt, non ſingulorum ſunt, ſed Corporis ipſius, nec lucra niſi ex omnium vel majoris partis ſententia diſtribuuntur. Confœderatio ſolis verbis initur, & ſi opus eſt, junguntur vires: ad Unionem opus eſt, ut certa quædam adminiſtratio conſtituatur cum aliqua & in membra autoritate, quæ ubicunque de rebus majoris momenti ac ſalutem,

lutem publicam ſpectantibus ordinario jure obtinet, ibi *Rempublicam* eſſe ajo. Itaque viri eruditi qui hoc argumentum tractavere, alterutro modo limites exceſſere: nam admiſſa unitate Reipublicæ credidere ſublatam in ſingulis membris libertatem ſive Suprematum; vel conceſſa ſingulorum membrorum libertate, non unam Rempublicam, ſed nudum fœdus conſtitui ſunt arbitrati. Ubi illud noto, Reipublicæ Belgicæ non ſatis rectè Imperium Germaniæ comparari; quemadmodum enim ſunt quædam, in quibus arctius Imperii noſtri vinculum eſt: ita ſunt alia, in quibus major Principum noſtrorum, quam ſingularem Belgii Fœderati Provinciarum poteſtas videtur, quibus jus Belli, Pacis, Fœderum, Legatorum, paulo minùs quam noſtris tribuitur. Scio quæ hic à me diſſeruntur de natura Reipublicæ non poſſe conciliari cum ſententiis acutiſſimi viri Thomæ Hobbii Angli; ſed tamen & illud ſcio, nullam in Europa moratiore gentem iis legibus gubernari, quas ille tulit: quare ſi Hobbium audiemus, non erunt apud nos niſi Anarchiæ meræ. Nimirum homines natura jus habere ait faciendi quicquid ipſis videtur utile, inde illis jus in omnia competere, ex hoc jure naſci bella internecina, ſingulis exitioſa, ideo neceſſariam eſſe pacem, ac proinde tollendum eſſe jus illud omnium in omnia, quare & proprium judicium ex quo fluit: itaque unumquemque debere ſuam voluntatem transferre in Rempublicam, id eſt, vel in Monarcham vel aliquod optimatum aut populi concilium, ſive in perſonam naturalem aut civilem, ut quod vult Reſpublica vel perſona eam repreſentans unuſquiſque velle intelligatur. Porrò hanc perſonam civilem Reipublicæ, omnium aliorum perſonas repræſentantem, non poſſe eſſe niſi unicam, & fruſtra dividi jura ſummæ poteſtatis inter plures perſonas ſive plura collegia. Nam ſi (exempli gratia) uni ſit jus legum ferendarum, alteri jus indicendorum tributorum, in caſu diſſenſus contumacis diſſolvi Rempublicam: quia enim ſine nervo rerum gerendarum, id eſt pecunia, nihil geri poteſt, patet illum qui alteri tributa negare poteſt, eum etiam reliquo jure privare poſſe, quod, inquit Hobbius, abſurdum eſt. Quin-

Digitized by Google

imo ex principiis ejus ſequitur omnem Monarcham (ſeu eum qui conventum populi nullum indicere cogitur) poſſe pro arbitrio ſtatuere de ſucceſſore: neque id diffitetur ipſe Hobbius. Et hæc tamen certè in ipſa Gallia, (quam aliqui velut in exemplum proponunt regni abſoluti) exploderentur. Paralogiſmus Hobbii in eo conſiſtit, quòd ea quæ incommoda trahere poſſunt, nullo modo ferenda exiſtimat; quod alienum eſt à natura rerum humanarum. Quanquam enim non negem diviſâ ſummâ poteſtate multos diſſenſus oriri poſſe, imò ſi unuſquiſque in ſententia perſtet, bella; experimento tamen conſtat homines plerumque medias quaſdam vias tenere, ne ſummam rerum pertinacia ſua diſcrimini committant. Manifeſto omnibus exemplo eſſe poſſunt Reſpublicæ Polonica & Belgica: apud Polonos Comitia unus Nuntius terreſtris ſolvere poteſt ſua pertinacia; apud Batavos cum res magni momenti, ut pax, bellum, fœdera, agitantur; unius oppidi diſſenſus omnia ſubvertit, & tamen prudentia & moderatione eorum qui rerum ſummæ præſunt pleraque ex ſententia conficiuntur. In Germaniæ quoque Comitiis non omnia ſuffragiorum multitudine tranſiguntur, ſed ſunt quæ unanimes ſententias poſtulant, quæ omnia Hobbio Anarchia viderentur; & aliis nonnullis, qui paulò liberiùs locuti ſunt de Republica noſtra, viſa ſunt monſtroſa: quod ſi ita eſt, auſim dicere eadem monſtra etiam Batavos & Polonos & Anglos Hiſpanoſque imò & Gallos alere. Hoc illi ſciunt quibus notum eſt quid olim Ordines Regni Gallici & alias delecti è regno viri (*les Notables*) in publicis Conventibus de Legibus regni Fundamentalibus & Regiæ poteſtatis limitibus dixerint: neque ignotum eſt, à Clero qui tertia regni portio eſt, ſubſidia obtineri non mandatis, plenitudine poteſtatis, ut vocant, emiſſis; ſed poſtulationibus, negotiationibus, atque tractatibus. Quin & dimidia Galliæ pars conſtat Provinciis quæ dicuntur *les pays des Eſtats*, quales ſunt Britannia minor, Gallia Narbonenſis, Comitatus Provinciæ, Ducatus Burgundiæ; ubi certè Rex non majore jure tributa extra ordinem indicere

poteſt,

Digitized by Google

poteſt, inconſultis ordinibus, quam Rex Angliæ ſuo in regno. Si quid ultra fit, præter morem aut leges, hoc à ſolis conſiliorum Regis ſucceſſibus vim habere certum eſt. Nec Turcarum Imperatorem opinione ſuorum ſuper omnes eſſe leges, intelligi poteſt ex forma judicii illius, quo damnatus eſt Sultan Ibraim pater ejus qui nunc rerum potitur; neque enim res tumultu, ut in Oſmani cæde, ſed matura eorum qui prima munera civilia ad militaria tenebant, deliberatione tranſacta eſt. Ex quorum ſententia, Sacerdotum Princeps ſive *Moufti* decreto miſſo ipſi Sultano mandavit, ut coram *Char-Alla* ſive juſtitia Dei compareret: neganti denuntiatum eſt ſubditos juramento fidelitatis ſolutos eſſe. Quamquam hoc Barbarorum exemplum, qui in utramvis partem peccant, probari non poſſit. Imperia ergo Hobbiana neque apud moratiores gentes neque apud Barbaros extare arbitror, neque poſſibilia neque optanda cenſeo; niſi illi penes quos ſumma rerum eſſe debet, angelicis virtutibus polleant; tam diu enim homines retinendam judicabunt propriam voluntatem ſuæque ſaluti prout optimum videbitur conſulent, quamdiu de Rectorum ſumma ſapientia & potentia perſuaſi non erunt, quod ad perfectam voluntatis reſignationem neceſſe eſt. Locum ergo demonſtrationes Hobbianæ in ea tantum Republica habent, cujus Rex Deus eſt; cui ſoli tutò per omnia confidi poteſt. Sed nobis in viam redeundum eſt.

CAP. XII.

Reliqua de Suprematu. *Suprematum populus aliquis amiſit, ubi alter oppida ejus præſidiis obtinendi jus nactus eſt. Ditio exigua nimis non eſt capax Suprematus ſi ſe tueri quidem poteſt, non tamen extra ipſam potens habetur; Superioritatem enim habet, Suprematum non habet. Perſonæ Principum non tantum regentium, ſed apannagiatorum videntur inviolabiles, & Criminali Juriſdictioni exemtæ.*

ITaque ut abſolvamus hanc de Suprematu in univerſum tractationem, hæc velut per ſaturam adjicere utile erit:

Jure Suprematus prædituſ cenſetur *Populus liber*, & nulli aſtrictus, quemadmodum Veneti, Batavi, Helvetii. Notum eſt cum Induciæ Belgicæ tractarentur, ea conditione à Batavis aſſenſum, ut Hiſpani faterentur ſe cum iis velut libero populo tractare. Tota quoque gens ut Gallica vel Anglica, quoniam ſuo jure regitur, Suprematum penes ſe habere cenſetur; idem eſt de Scotia, neque enim refert quòd eundem cum Anglis Regem habet, & quod Rex in Anglia degere mavult. At Neapolis vel Lombardia in Provinciam ab Hiſpanis redacta, quem habuit Suprematum in alios tranſtulit. Nam Hiſpani pro lubitū copias illic introducunt urbeſque præſidiis inſident, caſtellaque ſtruunt, quo ſemel admiſſo periit urbium aut Regionum Suprematus. Itaque non niſi illa urbs, Provincia, gens, Suprematum habere cenſetur quæ in ſua propria poteſtate eſt; in poteſtate verò habere eſt militari manu tenere poſſe. Neceſſe eſt autem civitatem vel Provinciam eſſe ſatis validam ad vim quæ communiter ingrui ſolet propulſandam; itaque cum Rex quidam Galliæ, quendam terræ tractum, quam vocant *d'Ivetot*, in Neuſtria ſive Normandia erexit in Suprematum, juſſu Papæ, ut cædem expiaret, cùm Dominum *d'Ivetot*, ſubditum ſuum propria manu in Eccleſia confeciſſet; equidem Dominos de *Ivetot* pro liberis, imò ut quidam ajunt Regibus impoſterum haberi voluit, & ab omni Gallicæ coronæ nexu abſolvit; ſed, ſi quid judico, rem Suprematus eis dare non potuit, quoniam efficere non potuit, ut ditio *d'Ivetot* ſuis viribus contra vim ingruentem ſtare poſſet, & aliquam inter cæteras gentes auctoritatem nanciſceretur. Itaque valde etiam dubito an poſſit Reipublicæ illi Italiæ, quam vocant *Sancti Marini* Opidum, concedi Suprematus, tametſi jure liberam eſſe nemo neget. Sed præter libertatem & in ſe poteſtatem, aliud præterea uſu requiri videtur ad Suprematum, nimirum potentia quæ apud exteros quoque auctoritatem conciliare poſſit. Ponamus Opidulum aliquod exiguum vel Inſulam in medio mari aut in rupe inacceſſa ſitu loci ita muniri, ut nulla facile vi ſubigi poſſit: fingamus in ipſo eſſe quicquid humanis uſi-

Digitized by Google

uſibus requiritur, ita ut nec fame expugnari facile poſſe videatur, quemadmodum de arce *Königſtein* ad Electorem Saxoniæ pertinente, fama eſt, in montis apice tantum frumenti creſcere, quantum præſidiariis alendis ſufficiat, an ideo hujuſmodi opidulo ſive arci Suprematum largiemur, an eandem cum Regibus ſpeciem dignitatis habere dicemus, an Legati ejus honore characteris fruentur? Longius progrediar: Liberæ Germaniæ civitates nec præſidium accipere coguntur, nec facile vi capi poſſunt, nec tamen illis Suprematum concedimus, quem nec ipſæ poſtulant ſibi. Cur ita? non utique quia Cæſari atque Imperio obligantur: nam ſi ita eſſet, nec Electoribus concedi poſſet Suprematus; an quòd Rectores earum ex illuſtri ſtirpe non ſunt? ne hoc quidem, alioqui nec Reipublicæ Belgicæ tribueretur: quid ergo tandem? Ego nullam aliam video cauſam quam quod non ſatis in ipſis (loquor de ſingulis) momenti eſſe videtur ad ſummam rerum; neque enim copias educunt, ſed tantum intra ſe ſtant tectæ & contra vim tutæ teſtitudineo ritu: *Superioritatem territorialem* habent, *Suprematum* non habent. Et Knichenius, cum *Sublime territorii* jus noſtris civitatibus negavit, *Suprematum* in mente habuiſſe videtur. Itaque huc tandem res redit quemadmodum dixi ſupra, ut honor Suprematus illis habeatur qui non tantum ſuæ " ſunt poteſtatis ſed & aliquid ad ſummam rerum in Euro- " pa momenti, armis fœderibuſque conferre poſſunt. Hi " enim cum Regibus quodam fraternitatis jure cenſentur & " longo licet potentiæ intervallo, gradu tamen potius " quam ſpecie dignitatis diſtinguuntur. Quales eſſe Princi- " pes Germaniæ quippe qui ditiones ſatis validas cum ſum- " ma poteſtate regunt, mox evincemus. Porro qui ex fa- " milia ſunt, Suprematum tenente, rerum tamen ſummæ " non præſunt, non tam ipſi dicuntur *Souverains*, (quamquam id quoque ſubinde, minus tamen propriè fiat) quam potius, *Princes d'une maiſon Souveraine*. Et inter hos ſunt gradus, nam liberi Regum aut ſupremorum Principum vocantur, *heritiers nés*: at proximus hæres, ſed à latere, dicitur

citur *heritier preſomtif*, cæteri omnes qui in ſpem Regni aut Principatus venire poſſunt, dicuntur *Princes du Sang* & *Princes d'une maiſon Souveraine.* Hi porrò etſi alicubi ſubjecti dicuntur, ut in Gallia Principes ex familia Lotharingica, Sabaudica, Mantuana; id tamen mea opinione cum grano ſalis accipiendum eſt, nec niſi intra civilia ſtare debet, neque ad perſonaliſſima porrigitur. Nam & Reginæ cenſentur ſubditæ maritorum, & liberi Regum fratreſque ſubjecti habentur & eodem rigore etiam Regina mater ſubdita foret filii ſui. Sed hanc ego ſubjectionem alterius plane generis eſſe arbitror, quam quæ privatis competit. Fidelitatem debere non dubito, conveniri civiliter poſſe concedo, ſed perſonam eorum inviolabilem cenſeo, nec criminali judicio onerari poſſe arbitror. Cujus rei ratio eſt, quod non eſt in Regis Principiſque regnantis poteſtate mutare aliquid circa ſucceſſionem ditionis ſuæ, itaque neque minuere nec (niſi uno modo) augere poteſt numerum hæredum, nec proinde quemquam eorum quibus jus eſt ſuccedendi, capitis damnare poſſe videtur, niſi conſenſu gentis. Quod vero in ſua familia jus non habet, quomodo haberet in aliena? Itaque nec familiæ Lotharingicæ in Gallia Principes ſine exceptione ſubditos cenſeo, quicquid Gallis videatur. Idem dicendum eſt, ſi quis ex ſummorum Principum familia munia civilia aut militaria alibi obeat, ut ſæpe fit, neque enim perſona ejus ideò alteri acquiritur: Et, ſi Clerici Romanæ Eccleſiæ minime in perſonalibus Reipublicæ ſubditi cenſentur, ſed Eccleſiæ nomine à nexu ſubjectionis quodammodo eximuntur, quid miramur tantundem tribuni ſummorum Principum familiis, quorum perſonæ quodammodo ſacræ eſſe debent? Ex his igitur intelligi poteſt, quid tum in territoriis ſive ditionibus, tum in perſonis, efficiat Suprematus. Nam qui ditionem ita regit ut ſolus militem habeat, præſidia locis imponat, fines cuſtodiat, militari manu mandata exequi faciat, neque ab alio tranquillis rebus niſi per vim bellicam in ea poſſeſſione turbari poſſit, (in quibus conſiſtit *Superioritas*:) & qui eam habet præterea potentiam,

ut

ut cum cæteris Europæ poteſtatibus pari conditione tractet, fœdera pangat, exercitum educat & aliquod rebus generalibus momentum adjiciat autoritate ſua; eum præter Jus Superioritatis etiam *Suprematus* honore frui cenſebimus, ita tamen ut ditioni jus affectum ſit, & in uno pluribuſque qui regnantes dicuntur, reſideat; cæteri qui *Principes ſanguinis Regii* dicuntur aut *Cadets d'une maiſon Souveraine* & honore quodam, & quod maximum eſt, inviolabilitate fruuntur. Itaque ut *Suprematûs* naturam intelligas, finge tibi *Potentatum* ut vocant ſeu Poteſtatum quæ rerum potiuntur (*des Potentats*) conſeſſum haberi, nec niſi illos vocari qui magnam ditionem tenent, & circa bellum pacemque & rerum ſummam aliquid magni poſſunt. Hic Conſeſſus, hæc ut ita dicam Confraternitas eorum qui dicuntur *Souverains*, in aliquo Concilio Generali aut pacis univerſalis tractatione repræſentatur, & Legatis omnium, quibus ob autoritatem Dominorum interveniendi jus eſt, plenus characteris honor debetur.

CAP. XIII.

Explicato Suprematu, oſtendendum eſt eum competere Principibus Germaniæ. Probatur hoc publicâ voce.

EX his jam ſatis intelligi arbitror quid ſit Suprematus, *la Souveraineté*: nunc oſtendendum eſt, *Principes Germaniæ habere Suprematum.* In promptu habentur innumera exterorum teſtimonia fatentium Principes Germaniæ eſſe *Souverains*: hoc Gallia, hoc Suecia ambitioſè egit, cum id rebus ſuis conducere arbitrarentur Coronæ. Maximi Reges cum Principibus Germaniæ tractavere *comme de Souverain à Souverain:* Et qui biennio abhinc prodiit in Gallia libellus de præſenti Germaniæ Statu, hoc unum agit ut oſtendat Principes ante motus noviſſimos pleno Jure Suprematus eſſe gaviſos; nunc dum ſpecie defendendi Imperii quod nemo invaſerit, ab Auſtriacis circumagantur, cum exterorum amicitia libertatem perdituros. Talia licet à veritate aliena utique Gallum ſcribere decebat; nobis ſufficit, confeſſum

apud omnes Magnorum Germaniæ Principum Supremạtum eſſe. Poſſem nubem teſtium cogere ſi opus eſſet. Res eò progreſſa eſt, ut Imperatoriam Majeſtatem irriſerint exteri, prætextu libertatis Ordinum, & quod ſe Maximilianus Regem Regum dixerat, perinde eſſe, jocati ſint, ac ſi quis ſe Regem ſine ſubditis vocaret. Huc illud Barclaji pertinet de Mergania regione ſub uno formidanda, quæ nunc in varios Principes lapſa Domino tota exciderit. *Eraſmus* ſcripſit ad Cardinalem Campegium Germanos imperare verius quam parere, & nuper Monzambanus quidam perſonatus libello eleganti ſed paulo mordaciore quam par ſit, nec affectuum vacuo, aſſeruit Principes Imperatori tantum feudi fide inæqualiter fœderatos eſſe, ſalva ipſorum ſumma poteſtate. Alius quoque novus, non ineptus autor p. 356. Notitiæ Rerum Imperii, Principes jam à temporibus Henrici Aucupis Autocratoras factos. Fuit & nuper qui ſe Heromontanum appellat, & edito libello defendit Principibus Germaniæ veram ac propriè dictam competere Majeſtatem, & jam olim Sleidanus in oratione ad proceres Imperii, quot in Germania ſunt Principes, tot, ait, videri eſſe Reges. Baldus quoque ad l. fin. C. de Teſtam. milit. Principes Germaniæ pro Regibus habuit, & de illis Æneas Sylvius poſtea Papa Pius II. Principes Germaniæ inquit, licet verum habeant caput in cujus verba jurant, ſuo tamen arbitrio plerumque moventur, ſuiſque imperant ſubditis. Bodinus cenſuit Imperium eſſe meram Ariſtocratiam, & Petrus Matthæus autor Hiſtoriæ Henrici IV. inepte ſatis dixit, Imperatoriam poteſtatem vix quàm Ducis Veneti majorem. Quæ etſi pleraque abſurda aut certè hyperbolica ſint, ſatis tamen communem omnium de poteſtate Principum opinionem indicant, videantur infra Cap. 61. excerpta ex Apologia Gallorum pro Electore Trevirenſi Philippo Chriſtophoro. Celebris eſt Regula Juriſconſultorum noſtrorum de qua dixerat Eberhardus à Weihe vix librum hodie ſcribi in Germania in quo non extaret, nempe: *tantùm poſſe Principem in ſuo territorio quantum Imperatorem in Imperio.* Viſi ſunt ſibi boni viri rem ma-

gnam

gnam pro Principibus dixiſſe, cum manifeſtum ſit tamen multo majorem eſſe Principum poteſtatem in ſua ditione, quam Imperatoris in Imperio. Nam ſublime territorii jus hoc inprimis efficit ut Dominus Territorii refractarios majore armorum vi coërcere poſſit, hoc verò Cæſarem per ſe in imperio jure poſſe, mero quodam & indefinito arbitrio, ineptus ſit qui ſtatuat, in primis poſt Weſtphalicam pacem & noviſſimas Imperii Conſtitutiones, ut de anterioribus nihil dicam. Itaque ſi regulam commodè interpretari volumus, ut autores ejus ab ineptiæ ſuſcipione liberemus, dicendum erit quicquid Imperator in rebus Imperii communibus ad unionem ſpectantibus habet poteſtatis, id omne Principem habere in rebus ſuæ Provinciæ particularibus: nam qui hoc ait, non negat multo plura Principem in ſua ditione quam Imperatorem in Imperio poſſe. quod eſt certiſſimum: quis enim neſcit pleniorem eſſe Cæſaris ipſius in Archiducatu Auſtriæ quam in Imperio poteſtatem?

CAP. XIV.

Confirmatur ex Origine Principum Germaniæ. Oſtenditur contra communem opinionem *Principes Germaniæ non eſſe ortos ex Magiſtratibus Provinciarum, qui paulatim hæreditarii & liberi facti ſint, ſed ex veteribus Germanicarum gentium Principibus ſeu Regulis, qui licet à Francis aliiſque victi, plerumque tamen non omnino ſubacti ſunt, nec ditiones in Provinciæ formam redactæ ſed potius in fidem ſuſceptæ, & Principibus vel eorum ſucceſſoribus ſub fidelitatis conditione relictæ. Oſtenditur hoc primum circa initia potentiæ Francorum, & tempora Clodovæi.*

SEd ut rectius intelligatur poteſtas Principum Germaniæ res ab Origine repetenda eſt. Plerique omnes Juriſconſulti ac Politici Germani pariter atque exteri pro certo ſumunt qui nunc Principes dicuntur eos olim fuiſſe Magi-

Digitized by Google

ſtratus, quales ſub vetere Imperio Romano Duces Comiteſque in Provinciis appellabantur. Cumque in familia eadem ſæpe continuaretur adminiſtratio, hæreditarium inde paulatim jus natum, ac denique diſtractis ac diminutis per Italica bella, & Pontificum artes Imperatorum opibus, eam quæ nunc videtur Principum potentiam ſtabilitam. Hæc eſt opinio communis, quam ne illi quidem exuere potuere qui liberè ſatis & eruditè de Germanicis rebus ſcripſere. Videas enim perpetuo Comites Duceſque veteres crepare, & de Imperatorum ac Regum negligentia queri. Sed quantum hæc ſententia abſolutè & crudè ſumta abſit à vero, ex ſequenti narratione diſcemus quam per aliquot priſca ſecula deducere operæ pretium mihi viſum eſt. Cum variæ è Germania gentes, Gothi, Vandali, Longobardi, Suevi, Heruli, Burgundiones Imperium Romanum dilacerarent, & migrantibus populis ſemper alii atque alii ex interiori Septentrione ſuccederent, manifeſtum eſt quot gentes tot Regulos fuiſſe, qui etſi fortaſſe non omnino hæreditario jure imperium obtinerent, ex iiſdem tamen familiis plerumque (ut hodieque in Regnis Electitiis fieri ſolet,) ſumebantur. Unde de antiquiſſimis etiam temporibus Tacitus, *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumtos*. Clodovæi Regis Francorum tempore qui primus Chriſtianam fidem accepit, Galliam Burgundiones & Franci tenebant. Alemanni id eſt populi in ſuperiore Rheni tractu tunc habitantes in Galliam irrupturi victi a Francis & ſubacti ſunt. Eam victoriam magna rerum Germanicarum mutatio ſecuta eſt, nam Clodovæus facilè Burgundiones & habitatores Narbonenſis Galliæ Gothos in ordinem redegit, in Hiſpania ipſa potentiam oſtentavit, & magnam Germaniæ partem ad Thuringiæ fines uſque Francici nominis Majeſtatem comiter agnoſcere coëgit. Sed minime putandum eſt ſubactos populos fuiſſe, aut Principes eorum pulſos. Nam ſcimus Cattos & Thuringos cum Theodorico Gothorum Rege, qui Italiæ toti imperitabat Romæque ſedem fixerat de moderanda Francorum potentia conſilia agitaſſe & Alaricum quendam, *Herulorum* (quos hodie

die Megalopolitanos aut Pomeranos vocant) *Ducem*, Clodovæo minatum. Clodovæus autem Theodorici potentiam & virtutem meritò verebatur. Morte Clodovæi diviſoque in filios imperio reſpiravere nonnihil Principes Germaniæ ſibi metuentes. Erat tum quidam *Thuringiæ Princeps ſive Rex* Hermanfridus, is fratribus cæſis cum ſolus imperaret, ſuperbia elatus Francis ipſis imminebat; ſed Clodovæi filiis neceſſitate ipſa unitis, victus ab uno eorum Theodorico Mediomatricum Rege, Regnum vitamque amiſit. Eodem tempore & *Sigiſmundus Burgundiæ* Rex captus atque interfectus à reliquis Clodovæi filiis Clotario & Childeberto. Secutis temporibus miſer fuit Germaniæ ſtatus quæ à ſuis priſtinis habitatoribus ſemideſerta, à Francis, Hunnis, Saxonibus, Danis vexabatur & cum victis in Italia Gothis Narſes Juſtino imperatori offenſus, Longobardos evocaſſet, multi Thuringi & Marcomanni aliique Albpinum ſecuti, propè nudatas viris fortibus reliquêre Provincias, quod Hunnorum & poſtea Slavorum invaſionibus locum dedit. Tunc & Garibaldum quendam *Bojorum Principem* Brunnerus memorat cum Francis conflictatum, cui Thaſſilo ſucceſſit, à Slavis infeſtatus. Reuſnerus quoque ſub finem ſexti ſeculi Gothofredum *Franconiæ Ducem* Chriſtianis ſacris initiatum narrat. Seculo ſeptimo in ſuperiore quoque Germania *Allemanniæ* Dux Gunzo memoratur Stumfio, qui è familia eadem cum Guelphica fuiſſe fertur, nummos cudiſſe inſignia Guelphica referentes à nomine ejus per multa poſtea ſecula appellatos: filiam ejus duxit Rex Francorum Sigebertus; poſteri autem Gunzonis diu Sueviæ ſive Allemanniæ Ducum titulos ſervavere. Hiſtoria etiam Brabantica nominat Carolomannum *Brabantiæ ſive Tungrorum Ducem*, cui Pipinus ſucceſſit major domus Regiæ & huic filius Grimoaldus: unde apparet Ducatus illos, quiddam ſucceſſioni proximum habuiſſe, ſaltem à Magiſtratuum aut Gubernatorum conditione alienos fuiſſe, ut mirer unde fabula de Origine Principum ex Magiſtratibus Provinciarum, nata ſit. Pipini hujus filia Begga, Anſegiſo Duci, S. Arnulphi filio,

filio, nupta eſt, ex qua Pipinum avo cognominem ſuſcepit Caroli Martelli patrem: ipſa Begga denique ſeculo valedixit ſtructoque cœnobio inter ſanctos habita Belgii tutelaribus accenſita eſt, & crediderim hinc natum Beguinarum nomen. Narrant Annales Francici & Mireus, diſſidium inter Pipinum hunc juniorem, & Giſlemarum, Duces, in bellum graviſſimum erupturum, ab Audoëno, Auguſtodunenſi Epiſcopo, fuiſſe ſopitum. An hos qui belli jus habent, Provinciarum Gubernatores & ad tempus datos credemus? Pipinus iſte Ebroino cæſo Majoratum Domus Regiæ obtinuit. Ejus filius Drogo *Campaniæ* quoque *Comitatum* nactus eſt & alter filius Radbodi *Friſiæ Regis* filiam duxit. Filius autem ex concubina, Carolus Martellus, Pipini Regis pater fuit. Narratur & in Thuringorum Annalibus, Bertholdum quendam, *Saxoniæ principem* Thuringis auxilio venientem, magna primum clade Dagobertum Regem affeciſſe, ſed ſecundo prœlio à Francis cæſum, Saxoneſque factos tributarios. S. Amandus etiam ex *Aquitaniæ Duce* Monachus & Ultrajectenſis Epiſcopus factus dicitur. Inter Salam & Albim *Wandali* habitantes, Thuringiam infeſtabant, Francorum potentiam non agnoſcentes. Theodonem & poſtea Hugibertum, atque inde rurſus Theodonem *Bojorum Duces* Brunnerus habet. Annales *Thuringiæ Ducem* memorant Rhudolphum. Et Benedictinorum hiſtoria Sanctum Vincentium *Hannoniæ* Comitem relicto *Principatu* memorat Monaſterium intrâſſe. Ex Vita S. Kiliani Francorum Apoſtoli diſcitur Geiſam quandam *Franconiæ Principem* fuiſſe, quæ abſente Marito ſanctum virum trucidari juſſit. Sub finem ſeculi ſeptimi Rupertus *in Helvetia Princeps Regii ſanguinis* à Guillimanno memoratur.

Cap. XV.

Oſtenditur porrò ex Hiſtoria Seculi octavi, ubi varii Principes & Dynaſtæ bella gerentes repreſſi, coërciti, in fidem ſuſcepti.

SEculi octavi initio ex ſupradictis Gunzonis poſteris *Alemaniæ Dux* Godefridus nominatur & huic Theobaldus filius

Digitized by Google

filius ſucceſſit. Theodebertus *Bavariæ Princeps* miſſo in Italiam exercitu Longobardorum ſe rebus immiſcuit; cujus ſucceſſor Grimoaldus à Carolo Martello victus eſt. Huic Hugibertus atque iſti Utilo filius ſucceſſit; Eudo, *Aquitaniæ & Vaſconiæ Dux*, non imaginarius, à Carolo Martello pulſus Saracenos ex Hiſpania vocavit, quos ille ingenti illo ad Turones prælio vicit, & deletis tantis hoſtibus tumultuantem *Alemannum Principem* Luitfredum fugavit. Ex Monaſterii Reichenavienſis monumentis diſcimus, jam tum anno Chriſti 728. memorari Rambertum & Gebbonem *Habſpurgi Comites Alſatiæ Landgrafios*, ex eadem, ut videtur, ſtirpe, cum Alemanniæ Ducibus quorum paulo ante meminimus. Sed & in Cruſio & aliis *Brigantii*, *Waldburgi*, *Köningſekii* memorantur *Dynaſtæ*, qui pro Luitfredo in prælio contra Martellum ſtetêre. Ex quibus ego colligo non multum diverſam Germaniæ faciem ſub prima Franciæ Regum ſtirpe fuiſſe ab illa quæ trecentis abhinc annis apparebat. Ut proinde mea ſententia illos temporarios Duces, provincias Germaniæ ad tempus tenentes, fruſtra in veteribus monimentis quæramus. Cæterum Aquitania ſubacta & Saracenis trans Pyrenæos redactis, Maurentum *Provinciæ Ducem* à Martello debellatum ferunt Maſſiliamque & cætera maritima loca capta quod illâc paulò ante Saraceni in regnum intrâſſent. Mortuo Martello Theobaldus *Alemanniæ* & Utilo *Bavariæ* Duces & Hunibaldus *Dux Aquitaniæ* tumultuantes repreſſi ſunt. Utilo nomen *Regis* ſumſerat ſed in anguſtias redactus, Ducis nomine contentus Pipini poſtea Francorum Regis ſororem Hiltrudem duxit, ex qua natus Thaſſilo, Pipini ope *ſucceſſit*: poſt Hunibaldum Waifarius *Aquitaniæ Dux* memoratur, quem Pipinus ad Sacramentum fidelitatis dandum coëgit. Narrantur & *Alemaniæ Duces Theobaldi poſteri* Warinus & Ruthardus, ex quibus Ruthardus Alſatiæ, Iſenhardus Warini filius ad Lacum Potamicum imperavit. Huic Uxor 12. gemellos ut ferunt uno partu edidit, & ſibi metuens per ancillam in aqua ſuffocari jubet: ancilla in Principem incidens interrogata quid ferret, catulos eſſe dixit,
Ger-

Germanice Guelfos, princeps re detecta filios ignara matre educari juſſit, unde illis poſtea *Guelphorum* nomen: quod etſi fabulæ ſuſpectum ſit, indicat tamen Guelfos ex vetuſta Alemanniæ Ducum ſtirpe fuiſſe, quæ ad Regium ſanguinem originem referebat. Pipino jam Rege facto Thaſſilo ex ſorore nepos rebellavit, quem Carolo M. puniendum mors Pipini reliquit. Carolus Magnus diu cum Wedekindo *Angriæ Principe* conflixit, *Aquitaniæ Ducatum in provinciam nunc primum* redegit; Guilielmus Dux in cœnobio obiit. *Thaſſilonem Bavarum*, Caroli conſobrinum Hadrianus Papa miſſis *Legatis* ad obſequium Carolo præſtandum induxit, ſed cum crebro rebellaret, tandem captus & cum Filio in Monaſterium detruſus eſt. Ortus tunc eſt novus in Flandria Dominatus, narrante Meiero; ſcilicet Carolus Magnus Lydericum Comitem Harlebecanum *terræ Sylvæque Flandricæ quæ pars Arduennæ erat, Dominio* donavit, atque illuc Saxones plurimos traduxit qui terram colerent. Is Lydericus Engelrammum ex Hermengardi Gerardi Ruſcinonenſis filia (quem in Nerviis ad Oceanum *imperitaſſe* ſcribunt) *ſucceſſorem* reliquit; quæ omnia indicant hos omnes *terrarum Dominos*, minimè verò Magiſtratus fuiſſe. Engelrammo Odoacer filius ſucceſſit, & huic Balduinus qui ducta Caroli Calvi filia auxit ditionem.

Cap. XVI.

Seculo IX. *ſub Carolo M. jam Imperatore Romano ac poſteris ejus eadem rerum facies. Hinc multa memoratu digna circa variorum Principatuum antiquitates & Origines.*

Sub initium ſeculi IX. Carolus M. Imperator Romanorum declaratus eſt. Hic in imperio filium Ludovicum cognomento Pium ſucceſſorem nominavit; Lothario alteri filio *Bavaria*, Pipino tertio *Aquitania* data eſt: Itaque hactenus provinciæ iſtæ ſemper *ſuos Principes habuere*: ſed obière illi ante patrem ſoluſque ſucceſſit Ludovicus Pius qui eodem modo

modo Lothario imperium, Carolo *Aquitaniam*, Ludovico *Bavariam* dedit. Illis temporibus Normanni Galliæ, Slavi & Hungari Germaniæ, Saraceni Italiæ graves fuere. Sub Ludovico Pio Obotritorum id eſt *Orientalium Saxonum Rex* Slaomirus ob turbas datas regno pulſus eſt, regnumque Cendrego datum à Ludovico Pio. Fuit & illis temporibus quidam Bernardus *Corſicæ Comes aut potius Dominus* qui exſcenſionem in Africa contra Saracenos fecit. Ludovitus *Inferioris Pannoniæ Dux*, rebellis in Dalmatiam rejectus, mox juſſu Lindulphi *Dalmatiæ Principis* trucidatus. Legaſtus Vilſorum Dux depoſitus Celedrago fratre ſubſtituto. Baldravo *Duci Forojulienſi* quod Pannonico limite negligenter cuſtodito Bulgaros Orientalem Dalmatiam impune vaſtare ſiviſſet, ereptus eſt *Styriæ & Carinthiæ Ducatus*, Germaniæque annexus: Dalmatia vero in quatuor præfecturas abiit. Sub eodem Ludovico Pio cum Heraldus Rex Daniæ cum fratre Erico pulſus regno ad Ludovicum veniſſet & fidem Chriſtianam recepiſſet, *Regnum Friſiæ* ei donatum eſt, & portio Friſiæ Erico data. Ex quibus apparet *plurimas Germaniæ Provincias etiam tum ſuos Principes habuiſſe, & Duces Comiteſque nihil minus quam Magiſtratus fuiſſe*: idem intelligi debet de Bernardo *Toloſano Comite*, de Nomenio *Armoricorum Duce* qui pulſo priori Duci ſucceſſor datus cum poſt Imperatoris mortem ſe *Regem* ferret, rurſus pulſus eſt. Mortuo Ludovico Pio inter Lotharium Imperii ſucceſſorem & Fratres Ludovicum Germanicum ac Carolum Calvum, ſtatim bellum exarſit, & prælio commiſſo C L millia hominum utrinque cecidere, quo quicquid fere Germanici Sanguinis in Gallia reliquum fuerat & pleraque Francica nobilitas deleta eſt, & ab eo tempore lingua Germanica ſive Francica in Gallia interire cœpit. Convenit tandem ut Lotharius imperii honorem regnum Italiæ & *regnum Mediomatricum* cui poſtea Lotharingiæ exinde nomen impoſitum eſt, ſeu quicquid inter Rhenum & Moſellam vel potius Moſam eſt, cum Belgii parte haberet. Ludovico Germania cederet, Carolo Italia, Pipino Pipini (quarti Fratris) filio *Aquitania* maneret.

Digitized by Google

ret. Ludovicus Germanicus Adalricum Adalberti filium *Rhetiæ Principem* conſtituit. Cum contra Bohemos & Sorabos moviſſet, memoratur Tachulphus quidam *Sorabici limitis Dux* qui Ludovici nomine cum hoſtibus de Pace egit. Hunc ego puto Marcgrafium fuiſſe. Tandem Ruſtice, *Sorabum Duce*, in ſummas anguſtias redacto & in fidem accepto, mox iterum rebelli & capto, *nepoti ejus Suentobaldo datus eſt Ducatus* qui tamen non diu fidem ſervavit. Iiſdem temporibus & *Bruno Saxonum Dux* claret (Ludolphi frater) à quo Brunſuicum ſtructum ajunt. Carolus Calvus interea in Gallia Nepoti è fratre Pipino Aquitaniam extorquere conatus eſt, quod ipſi denique contra liberos ejus ſucceſſit. Neomenium ſeu Nomenojum *Armoricorum Ducem ſe Regem Britanniæ minoris ferentem* fugat, ejus tamen *filius* Heriſpeus *principatum recepit* ejuſque beneficii memoria poſtea Salomon ſucceſſor *gentis Regulus* Francis contra Normannos copias auxiliares miſit. Sed Normanni interim Galliam inundantes fruſtra opponente ſe illis Ruperto Witekindi, ut ajunt, pronepote Andino Comite, tandem *Neuſtriam* à Carolo obtinuere. In hæc tempora Hollandici Comitatus initia à quibuſdam referuntur; cum enim circa Rhenum regio vaſta & à Normannis protrita jaceret, Carolus Calvus eam Theodorico Sigeberti *Vaſconum Principis* filio (quidam *Getolfi Friſiæ Comitis* filium faciunt) rogante Haganone *Comite Sanctenſi* avunculo in feudum dedit, ea lege, ut contra Normannos defenderet. Adjecit Sylvam Waſdam ac Seelandiam Ludovicus ſecundus Imperator. Alii hæc inter vana reponunt & ad Caroli Simplicis tempora originem Comitum Hollandiæ referunt. Porro in Italia & Lotharingia Lotharius Imperator interea cum Saracenis & Anſegiſo quodam *Beneventi Duce* conflictabatur. Tandem depoſito ſponte Imperio in cœnobium ſecedens, Ludovico filio ejus nominis ſecundo imperium, alteri filio Lothario *Regnum Mediomatricum* reliquit, unde à Patre & filio, Lothariis, magis confirmatam puto Lotharingiæ appellationem. Lotharius junior prior obiit, & poſt eum ipſe

Ludo-

Digitized by Google

Ludovicus Imperator, ſine hæredibus ambo: ita Imperium ad Carolum Calvum Galliæ Regem Ludovici Secundi patruum, Ludovico Germanico altero patruo, natu licet minorem relatum eſt. Ludovicus Germanicus partem Lotharingiæ magnam obtinuit, Boſonem affinem *Ducem Papienſem* creavit; Berengarium & Guidonem Halos proceres è Germanico ſanguine ortum trahentes, alterum *Forojulienſem*, alterum *Spoleti Ducem* renunciavit, ut defenſores contra fratrem Ludovicum Germanicum haberet. Ludovicus Germanicus prior obiit, relictis filiis, Carolomanno, Ludovico, & Carolo qui poſtea dictus eſt Craſſus. Carolo Calvo mortuo ſucceſſit in Imperio Romano & Gallia Ludovicus III. cognomento Balbus. Hic ubi obiit, Imperium ad Ludovici Germanici Liberos rediit. Et Carolomanno natu maximo haud dubiè debebatur, ſed is paralyſi correptus Carolo Craſſo fratri *Imperium*, Ludovico fratri *Bavariæ Regnum*, id eſt magnam Germaniæ partem, Arnulpho filio naturali *Auſtriam & Carinthiam* reliquit. Ludovicus extinctus eſt ſine libris. Carolo Craſſo non ſatis ſui compote, Imperium ad Arnulphum & hujus filium Ludovicum Imperatorem ejus nominis quartum pervenit. Dum interea in Gallia Ludovici Balbi filii Ludovicus & Carolomannus ac poſtea Carolus Simplex regnarent. Hoc tempore miſera erat rerum per Italiam, Germaniam Galliamque facies, irruentibus Saracenis, Hungaris, Slavis & Normannis; quæ res fecit ut Principes regionum Imperio & Regnis Germaniæ Galliæque obligatarum quales hactenus multos narravimus, partim potentia creſcerent partim numero augerentur. Nam & novos Principatus conſtituebant Imperatores atque Reges, ut haberent quos tantis hoſtibus opponerent, & dudum conſtitutis plurima permittebant. Quod diſtinctius referendum eſt. Nimirum ſtatim poſt Ludovici Germanici mortem Normanni Tanquardum & Brunonem *Saxoniæ Duces* Ludolphi Ducis & Witekindi *ex Fratre* (Ludolphi) Brunone *nepotis Filios* occidêre. Ludolphum & Brunonem fratres jam ſupra nominavimus. Succeſſit illis fra-

ter Otto, pater Henrici Aucupis poſtea Imperatoris jam ſub Ludovico quarto Cæſare potens. Unde intelligi poteſt hos Duces non fuiſſe Magiſtratus aut Provinciarum Gubernatores, ſed magnarum terrarum Dominos & ſtirpe illuſtres, quæ imperio digna mox habita eſt. Itaque jam illis ipſis temporibus fatendum eſt, eam pene, quæ hodie eſt (quantum ad poteſtatem Principum) fuiſſe Germaniæ faciem. Nominatur & ſub Carolo Calvo Poppo Sorabici limitis Comes & Marchio, cui terræ illæ contra Barbaros defendendæ Feudi Jure datæ erant, dicitur fuiſſe *Princeps Hennebergicus*: ſed & Gothofredus *Friſiæ Dux* refertur, qui Lotharii Imperatoris ex Filio Lothario Lotharingiæ Rege neptem duxit. Boſo *Arduennæ Comes*, Regiæ domui affinitate junctus, Burgundiam & quicquid ab Alpibus ſecundum Rhodanum uſque ad mare decurrit, tenuit; ſed parte ditionis exutus Lugdunenſem Provinciam retinuit & Arelati ſede fixa Arelatenſis regni initium fecit. Cum, Carolo Craſſo mortuo, Arnulphus quem nothum eſſe conſtabat, Imperii gubernacula ſumſiſſet, & nunc primum à legitima Caroli ſtirpe abiretur, credibile eſt multos in Germania ſumſiſſe animos quos antea autoritas potentiæ Carolovingicæ continuerat. Acceſſit Caroli Simplicis qui è familia Carolina ſupererat in Gallia infelix regnum & exterorum irruptiones perpetuæ, cum interea domi Berengarius Italiam, Eudo Galliam, Rudolphus Burgundiam invaderent. Guido *Spoleti Dux* Berengarium *Ducem Veronenſem Forojulii præfectum* (ecce diſtinctum à Duce præfectum) qui *Italiæ Regis* titulum ſumſerat, pepulit, quem reſtituit Arnulphus. Eudo *Comes Pariſienſis* ſub Carolo Simplice rerum in Gallia potiebatur. Is Richardum *Comitem Auguſtodunenſem Burgundiæ Ducem hæreditario Jure creavit*: qui Veſontionem, Tullum, Dolam, habuiſſe videtur, cui *ſucceſſit* Rudolphus *filius*. Rudolphus Caroli *Comitis Streitlingenſis* filius *regnum fundavit in parte Burgundiæ trans Juram* ad Alpes (id eſt *Sabaudia, Uchtlandia, Briſgovia, Suntgovia & Tigurenſi præfectura*) cui Comitis nomine poſt patrem præerat; & Suenteboldum Lotharingiæ

Prin-

Principem excutere tentavit. In *Regno Arelatenſi* conſenſu Arnulphi Imperatoris Ludovicus Boſoni patri ſucceſſit. Illis temporibus jam Duces Comiteſque provinciarum planè ſe in libertatem aſſerebant. Balduinus *Flandriæ Comes* contra Veromanduum Comitem bella geſſit: In *Aquitania* duo *Duces* Guilielmi, in Neuſtria ſive *Normannia* Rollo, Guilhelmus Riccardus, in Ducatu Franco ſeu Pariſienſi Hugo ſucceſſor Eudonis magnus Dux cognominatus, cujus fines Sequanâ & Ligeri, Normannia & parte Picardiæ comprehendebantur.

CAP. XVII.

Miſerabilis rerum ſtatus ſub initium ſeculi X. Barbaris undique ingruentibus, qua occaſione auctus Principatuum numerus & Principum poteſtas; Imperio denique à Francis ad Saxones tranſlato ac ſub Ottonibus non nihil reſpirante. Quo tempore Principum libertas apud omnes in confeſſo eſt. Sed falſo inde incboatur, cum longè altiores origines habeat.

POſt Arnulphi mortem filio Ludovico Imperatore facto ſub initium decimi Seculi non minus miſera Germania quam Gallia fuit; ſub eo nominantur Albertus vel Adelbertus, *Bambergenſis Comes*, Conradus *Franciæ* Eberhardus *Haſſiæ Princeps* ejuſque liberi. Eberhardus & Gebhardus *fratres*, *Thuringiæ Langrafii*, Conradus *Haſſiæ Landgrafius*, frater Cæſaris, Burcardus *Princeps Thuringiæ*. Leopoldus *Dux Auſtriæ* Ludovici Cæſaris cognatus, Otto *Dux Saxoniæ* de quo paulo ante, Burcardus *Curienſis Rhætiæ Marchio*; Moymarus *Moraviæ Princeps*. Ludovico Cæſare mortuo plerique imperium Ottoni *Saxoniæ Duci* deferebant, ſed ille ſenio gravis Cunradum *Franconiæ Ducem* commendavit, obſiſtentibus Arnulpho Malo *Bavariæ*, Giſelberto *Lotharingiæ* & Burcardo *Sueviæ Ducibus*. Arnulpho pulſo Ducatum *fratri Eberhardo* dedit Conradus Imperator, ſed qui eum non tenuit. Per Dietericum Witekindi M. pronepotem, *Comitem ſive Dynaſtam in Ringelhem*, Danos repulit Conra-

dus. Memorantur & Erchinger & Burckardus *Suevia Duces.* Mortuo Conrado delatum eſt Imperium ad Henricum dictum Aucupem Ottonis filium, qui Arnulphum *Bavarum exulem* reſtituit fide data & obſequio *de Regio titulo non uſurpando.* Henrici Aucupis filius Otto cognomento Magnus cum aliquot Germaniæ Principibus ſuæ gloriæ æmulis conflictatus eſt. Quod mirari non debemus; extincta enim aut à gubernaculis remota Carolina ſtirpe inter tot alias familias illuſtres invicem æmulas una ſine magnis motibus eminere non potuit. Primum cum Arnulphi Bavari filiis bellum fuit, quibus ademtus Ducatus & fratri defuncti datus, & filiis tantùm Comitatus Witelſpacenſis & Schirenſis Comitum Provincialium, ſeu Landgrafiorum titulo, *ut antiquitus uſitatum*, (ita loquitur Hiſtoria) conceſſi ſunt. Unde intelligi poteſt hæc munera jam tum *hæreditaria* fuiſſe. Tanckwerdus frater Cæſaris Nothus mortuo Sigfrido *Marchione Brandenburgico* Provinciam occupaverat, invito Cæſare, ſed & Eberhardus Cunradi Imperatoris frater & Giſelbertus *Lotharingiæ Dux* tumultuati & repreſſi ſunt. Aſtitit Imperatori Hermannus *Suevia Dux*, cujus fratri Imperator Lotharingiam dedit, Henrico Giſelberto filio *ſine liberis* mortuo. Et Henrico fratri ſuo, Bartholdi, *Bavariæ ducis*, *qui* & ipſe *nullis relictis hæredibus obierat*, ditionem conceſſit. Geronem quoque *primum Luſatiæ Marchionem* conſtituit & *Lunæburgenſem* quoque *Ducatum inſtituiſſe* ac Hermanno Dynaſtæ potenti de ſe meritiſſimo dediſſe dicitur. Multa alia præclarè in Germania & Italia ab Ottone Magno acta, ac tum demum ea quæ nunc viget principum poteſtas liquido conſtituta eſt, & ab Ottonibus II. & III. magis ac magis ſtabilita, dum interea in Gallia Caroli Simplicis filius Ludovicus cum Hugone Magno, de quo ſupra, conflictaretur. Ludovicus iſte, Lotharium & Carolum reliquit: illi Galliæ regnum, huic Lotharingia ceſſit. Lotharius filium reliquit, quo mortuo infante, Hugo Capetus excluſo per vim patruo infantis Carolo Lotharingo, regnum ſibi vindicavit, & ut muniret novam potentiam,

Germa-

Germaniæ exemplo Ducibus Comitibuſque Provinciam majorem quam ſub Carolovingiis factum erat, poteſtatem indulſit. Unde illis temporibus Duces, pares Franciæ, magni erant Principes, ditiones beneficiarias optimo maximo jure tenentes, fere ut Principes Germaniæ; quibus qui hodie ſucceſſere & vocantur *Ducs & Pairs de France* umbra tantum ſunt priorum; quo magis abſonum eſt Reges Galliæ hodiernos titulum *mon Couſin*, qui veteribus illis Ducibus conveniebat, nunc obvio cuique proſtitutum, Principibus Germaniæ etiamnum dare velle quibus ex more ſeculi fraternitas debetur, ex quo cognati appellatio illis data eſt quorum cum Principibus noſtris nulla fieri comparatio poteſt.

CAP. XVIII.

Ex hac jam narratione reſumendo potiſſima, oſtenditur Principes pleroſque non ortos ex Magiſtratibus, ſed vetuſtiſſimis victarum gentium Regulis aut primariis familiis, ſubſtitutis in ejectorum locum, eorum cognatis vel Principibus ipſis ubi ſe ſubmiſerant Tributariis ac Vaſallis factis, nonnunquam & Principibus ex Regia vel alioquin illuſtri Francorum ſtirpe genti impoſitis, agriſque inter victores diviſis: unde varii Dynaſtæ & territoriorum Domini orti. Sæpe & terræ incultæ ad colendum conceſſæ, & Principatus in Barbarorum finibus erecti, ut ii, quorum maximè intererat eos facilius reprimerent, quam ſoli Magiſtratus vel Provinciarum Præfecti feciſſent. Unde concludo, jam ſub Francico Imperio valde ſimilem fuiſſe Germaniæ faciem ei quæ poſtea apparuit, niſi quod turbatores tunc facilius coërcebantur. Idque ad honorem noſtrorum Principum pertinet, ut appareat eos non, ut vulgo putant, ex Magiſtratibus per rebellionem, ſed ex vetuſtiſſimis Regulis per quandam velut ſucceſſionem ortos eſſe.

ATque ita Hiſtoriam veterum Principum ſive Regulorum qui ſub Francico Imperio Provincias eo *jure* jam

Digitized by Google

tum tenebant quod hodie *territoriale* vocamus, per aliquot ſecula ad Saxonum uſque Cæſarum tempora, quibus jus illud Principum extra controverſiam ab omnibus ponitur, deduxi, atque liquido oſtendi quantum à vero abeant etiam doctiſſimi Viri, qui paſſim communi conſenſu docent Duces illos non niſi Provinciarum Magiſtratus temporarios fuiſſe, & indulgentia Cæſarum atque neglectu hæreditarium jus obtinuiſſe. Quæ omnia ab omni veri ſpecie aliena eſſe ex hac illius ævi facie judicari poteſt, quam hoc loco ex optimis Scriptoribus exhibui. Quod eo diligentius faciendum putavi, quo magis hæc ſententia à communi eruditorum opinione aliena, contraria vero parum Principibus honorifica eſt. Quiſquis ergo præcedentem primorum Principum Hiſtoriam leget, mirabitur, unde viri eruditi in ſententiam hiſtoriarum monumentis adeò contrariam & ab illorum temporum facie abhorrentem venerint: nam facilè agnoſcet, Francos Reges initio aliarum nationum Regibus atque Principibus dignitate potiores non fuiſſe, ſed fortuna atque opportunitatibus uſos, alios poſt alios debellaſſe; non verò, (niſi raro) ditiones in Provincias redegiſſe nec quales ſomniant Magiſtratus ubique & unicè propoſuiſſe victis gentibus, ſed aut Principes priores in fidem tantum receptos reliquiſſe in ditionibus; aut novos illis, Principes dediſſe è primis ipſarum gentium victarum familiis plerumque ſumtos, addidiſſe tamen illis Judices atque Comites, ut facilius in officio continerentur. Nonnunquam diviſa eſt Provincia antea uni parens, in regulos plures: quemadmodum Carolus Magnus Longobardorum Rege Deſiderio victo aliquot Ducatus conſtituit & Longobardis permiſit, ut ex ſua gente *Duces* ſibi ſumerent *Spoletanum*, *Forojulienſem*, *Beneventanum*, fide tantum horum Ducum jurejurando oppignerata; quemadmodum ex Sabellico & Paulo Æmilio diſcimus. Sæpe & Provinciis victis non ex ipſa gente ſed Regia Francorum ſtirpe aut aliis illuſtribus familiis dati Principes novi: ita *Burgundiæ Reges* fuêre ex Caroli Magni poſteris ac Francorum Regum familia; item *Aquitani Duces*, & *Bajoariæ atque*

que

que Norici Reges, quemadmodum ex diviſione quam Carolus Magnus & poſtea Ludovicus Pius inter liberos inſtituere voluêre, patet. *Lotharingia* quoque ſuos habuit aliquamdiu *Reges*, & *Duces Alemanniæ* Gunzo ejuſque Succeſſores ex vetuſta Francorum Regum primæ familiæ ſtirpe fuiſſe creduntur. Nonnunquam & Principes victarum gentium affinitatibus alligati ſunt, ut Radbodus in Friſia; idem factum eſt in Bavaria, nam Thaſſilo Bavariæ Dux Caroli M. ex ſorore nepos fuit. Cum vero gentes planè debellatæ erant, novæ in iis erectæ Dynaſtiæ victoribus præmio dabantur. Ita Clodovæus Allemanorum, Carolus M. Saxonum devictorum terras militibus ſuis diſtribuêre; ſæpe hæreditario (licet beneficiario ſeu feudali) jure, ex quibus nonnullæ majores & majoribus Ducibus Regumque cognatis & affinibus, datæ in dynaſtias, imò & in Principatus erectæ fuiſſe videntur. Unde Alemanniæ Sueviæque Duces, & tot alii Comites ſive terrarum in ſuperiore Germania Dynaſtæ, poſt victos à Francis Alemannos orti ſunt. Quibuſdam datæ ſunt terræ incultæ, hæreditario jure, ut diligentia eorum meliores redderentur, quemadmodum primis Arduennæ & Flandriæ Comitibus, de quibus ſupra dixi, qui paulatim crevêre. Etiam in Provinciis ſubactis, nec proprium Principem habentibus, relicti ſunt plurimi Dynaſtæ terrarum Domini non multum ab hodiernæ Nobilitatis Imperii liberæ ſpecie abhorrentes; ex his paſſim facti Comites ſeu Judices Provinciales. Cum enim ob agros quos poſſidebant, & ſubditos quos habebant jam tum in Provinciis magnam autoritatem haberent, viſum eſt utilem eſſe eorum ad populos continendos operam, cum ſæpe ne præteriri quidem ipſi ſine offenſione & tumultu poſſent. Itaque qui Magiſtratuum in Provinciis ſpeciem habebant, aliquando fortaſſe re ipſa terrarum Domini fiebant, nec niſi ob crimina ingentia facilè ejici, liberique eorum ditione privari poterant, & ad eam rem exercitu opus erat. Quare mirum non eſt jam ante Carolum Magnum Ducatus & Comitatus reapſe multis in locis fuiſſe Principatus potius & Dynaſtias, quam Magiſtratus,

Quamquam autem non diffitear multos fuiſſe Comites Provinciarum atque Caſtellanos ſive Landgrafios ac Burcgrafios, qui ſimplices erant nobiles nec territorium tenebant cui præerant: eos quoque qui territorium pleno ſatis jure poſſidebant & quorum dignitas atque magiſtratus in liberis jam tum continuari, nec ſine gravi cauſa ipſis auferri ſolebat (ut patet ex Capitularibus Caroli Calvi apud Miræum in Annal. Belg. ad Ann. 877) nondum tamen fidenter ſatis jactare potuiſſe hæreditarium ſuum jus eſſe: Erant tamen alii multi & quidem potentiſſimi qui ob eas, quas ſupra dixi, cauſas, jus Provinciam in hæredes tranſmittendi agnitum, atque in confeſſo poſitum habebant, quemadmodum ex illis quæ prolixè ſatis recitavi, conſtat. Quibus hæc exempla adjicere operæ pretium erit, quod Witekindo Comiti in Sualemberg Comitatum Waldeccenſem hæreditario jure Carolus M. conceſſit & Equiti cuidam ob merita dedit Comitatum Gleichenſem ſeu tractum terrarum ad 20. milliaria in longitudine & 10 in latitudine in ſaltu Thuringico poſitum, & haud dubiè tunc parum cultum cum jure fodinarum & oppidis Glichow & Aſek, *quemadmodum* ut ipſe Imperator ait (apud Goldaſt Conſtit. Imp. Latin. fol. 17.) *ea ad nos ex obitu viri nobilis Sichardi Domini in Glichou pervenere*; unde manifeſtiſſimum eſt Dynaſtiam hanc in Gleichow, ipſo Carolo anteriorem fuiſſe, extinctaque familia priore jure Feudi ad Dominum cediiſſe videri, qui rurſus alteris dedit, & miſere labi eos qui Duces & Comites à Carolo M. primum inſtitutos & ſub Ottonibus vel (occaſione textus juris Feudalis,) à Conrado II. primum hæreditarios factos putant. Ego ex Hiſtoriarum monumentis perſuaſſimum habeo Germaniam jam Carolovingiorum temporibus imò & paulo ante, plane ut hodie, plenam fuiſſe Principatibus & Dynaſtiis, & familiis illuſtribus quarum plurimæ etiam nunc perennant, quæ terras ſuas hæreditario jure poſſidebant, nec multum ab hodiernis diſtabant, niſi quod ob crebros motus ac perpetua bella crebriores eſſent commutationes quam nunc fit, & Reguli res novas molientes ſæpe ditio-

tionibus ejicerentur. Cum vero poſt Caroli M. fata diviſum Imperium & inteſtinis motibus Succeſſorum agitatum ab Hungaris, Sorabis, Saracenis, Normannis laceraretur, coacti ſunt multo magis Cæſares atque Reges, ut non tantum Principatus ac Dynaſtias quæ erant, relinquerent, ſed & crearent novas. Ita diximus Theodoricum *Comitem Hollandiæ* conſtitutum contra Normannos, Popponem *Marchionem ſive limitaneum Comitem contra Sorabos*, eadem & *Auſtriæ Marchionum* contra Hungaros & Brandeburgicorùm contra Slavos tunc origo. Sed & reprimendorum tot hoſtium cauſa Franconiæ, Thuringiæ, Haſſiæ, Sueviæ Principes ſive Duces extitere. Quorum familias jam tum potentes & à multo jam tempore ſtabilitas fuiſſe neceſſe eſt quoniam Carolina ſtirpe in Germania extincta, ſtatim de Imperio cum Saxonibus ſane potentiſſimis Ducibus contenderunt. Eant ergo qui ſibi veterem Germaniæ faciem fingunt qualis hodie Galliæ eſt, & Duces idem fuiſſe putant quod nunc *les Gouverneurs des Provinces*; Comites verò idem fortè quod nunc *les Intendans de Juſtice, Finance & Police*: quin diſcant potius liberrimas ſemper Germaniæ Regiones fuiſſe, antiquiſſimaſque familias illuſtres eſſe, quæ illis cum territorii jure jam tum præfuêre, & quibus hodierni Principes, poſt multas licet commutationes ſervata tamen rerum ſumma ſucceſſêre. *Duo* tantum inter veteres illos & hodiernos potiſſima *diſcrimina* ſunt, quorum *unum*, quod tunc Imperatoribus, (quippe ob Epiſcopatum collationes, & urbes paſſim proprias terraſque maximas potentioribus,) facile erat armata manu cunctos coërcere, cùm hodie, poſtquam Principes Cæſarem ex ſuo numero ſumſere & Pax publica (der Landtfrieden) veteri violentiæ ſucceſſit, ac Patrimonium Imperatoris diſſipatum eſt, Cæſar autoritate multis Legibus circumſcripta facile in Principes expedire arma non poſſit. *Alterum* eſt diſcrimen quòd hodie perſonæ Principum imò & eorum familiæ judiciis certè criminalibus exemptæ & inviolabiles cenſentur. Cum olim condemnarè Principes, imo Reges Regumque liberos & cognatos

in Monaſterium velut perpetuos carceres relegare tonſos aut etiam excæcare, novum non eſſet. Quæ omnia nunc emollitis hominum moribus incognita atque improbata; tantum illud remanſit, ut ex Feudi lege fidelitas & homagium præſtetur Imperatori ſub conditione reverſionis in caſum extincti Feudi & de reliquo Imperatoris & Imperii majeſtas ſalvis Regalibus Principum & Suprematu qualem ſupra explicui, comiter obſervetur.

Cap. XIX.

De præſenti Poteſtate Principum Germaniæ, de Eorum Juriſdictione, legiſlatoria Poteſtate, jure Epiſcopali aliiſque juribus in ſubditorum Perſonas. *Item de juribus Fiſci, aliiſque* in ſubditorum Res.

ITa ergo primas Principum Germaniæ origines à vana eorum opinione vindicavimus, qui ex Magiſtratibus paulatim terrarum Dominos putant factos, cum ex primorum Regum & Principum ſtirpe plerique orti, aut his optimo maximo jure ſucceſſores facti videantur: atque illud manifeſtum ſit neque Auſtriacam neque Capevingicam familiam pleriſque ipſorum præferri poſſe. Sed nunc miſſis Originibus præſentem eórum poteſtatem atque dignitatem paucis explicare operæ pretium eſt. Poteſtas Principum oritur vel ex jure Suprematus, vel ex jure Status Imperii. Nam ut *Autocratores* ſuas ditiones regunt, ut *Status Imperii* communibus negotiis interveniunt, & ſuffragio ſuo aliquid in magno illo corpore poſſunt quod Europæ fata circumagit. Idque non eſſe exiguum vel inde patet quod jus ſuffragii Comitialis Suecia obtinuit, Gallia ambivit. Sed nos de illis primum dicemus quæ ex jure Suprematus manant. Dixi ſupra *Jus Suprematus*, ſive, ut quidam vocant, *Autocratiam* conſiſtere in ſumma imperandi, coërcendi, & ditionem aliquam inſignem armata manu continendi poteſtate. Hoc jus eſt univerſitas quaſi quædam, ſeu aliorum jurium, ſive, ut vocant, Regalium aggregatum, cujus hæc eſt vis, ut plenum
in

Digitized by Google

in omnia jus competat, quæ non diſertè excepta ſunt. Quemadmodum Dominium omnem in rem tribuit facultatem,quæ non certa quadam exceptione ut ſervitute, locatione, oppignoratione, lege, ademta eſt: & hæreditas plena in jus defuncti ſucceſſio eſt, tametſi fortè Legatis, Fideicommiſſis aliiſque oneribus minuatur. Porrò quemadmodum Anima ſuas habet facultates, &, ſi Peripateticis credimus, forma ſubſtantialis ſuas habet qualitates ex intima ejus natura emanantes; ita *Suprematus* ſuas habet vel portiones vel potius conſequentias atque facultates quas Juriſconſulti ſubinde *Regalia* appellant (tametſi non ignorem arctius aliquando ſumi hanc vocem) quæ à Principibus libere exercentur, quando non pacto aut conſuetudine ultra hominum memoriam porrecta prohibentur. Hæc jura diſtingui poſſunt in ea quæ vel ſolo ad ipſam ditionem relatu vel quæ reſpectu exterorum competunt. Sive ſi cum Schola loqui volumus, in *immanentia* & *tranſeuntia*: priora ſunt vel ratione perſonarum vel ratione rerum. *Ratione perſonarum*, nempe ſubditorum, jus habent Principes tum imperandi, ſive jubendi, tum ad imperata facienda cogendi,quod,ut ſupra definiveram hodie uno verbo *juriſdictio* appellatur. Atque hoc illis ſine diſcrimine competit in omnes qui Domicilium habent, hi enim ſubditi cenſentur, niſi aliqua eos ratio eximat; quales ſunt Eccleſiaſtici apud eos qui Eccleſiam Romanam agnoſcunt Magiſtram ſuarum Eccleſiarum: quanquam & in hos levis quædam coërcitio ſit conceſſa, nihil enim vetat capi Eccleſiaſticos, & de loco in locum transferri ut nocere prohibeantur, in quo pari ſunt conditione cum exteris etiam juris gentium privilegio munitis, illuſtribus ſcilicet viris aut Legatis, in noſtro territorio periculoſa machinari compertis. In Imperio autem placuit ut criminum admiſſorum cauſa unus Princeps alterius quoque ſubditos in loco delicti punire poſſit, neque remiſſio ad Dominum neceſſaria ſit. In hac ergo jubendi & cogendi poteſtate conſiſtit juriſdictio quam hodie in *altam & baſſam* dividunt. Quod adeò verum eſt ut nullo modo ſubditi in alienum territorium,ac ne quidem

ad Cæſarem aut Cameram avocari ac primæ ut vocant inſtantiæ beneficio privari poſſint; & quanquam in civilibus judiciis receptum ſit, ut ad conſtituta quædam in Imperio tribunalia provocetur, in publicis tamen judiciis, ſive ut vocant criminalibus cauſis, appellatio nulla eſt, & Imperii Principes ſine provocatione judicant; idem eſt in matrimonialibus: & exploſa hodie eorum ſententia eſt qui putabant (inducti verbis quibuſdam Speculi Juris veteris Suevici) Cæſarem alicujus Principis ditionem ingreſſum aliis omnibus juriſdictionibus præſentia ſua ſilentium imponere, quemadmodum ad ſolis lucem ſtellæ diſparent. Qui error exinde ortus eſt, quod Cæſari honoris cauſa ampliſſima quæque in tranſitu concedi ſolita ſint etiam ab exteris, quemadmodum ex illis honoribus patet, qui Sigiſmundo Imperatori in Gallia ſunt habiti, volente Rege ut etiam juriſdictionis actus exerceret, quod non plus efficit, quàm quod ſolenne eſt, ut Præfectus Vigilum à Principe quodam extero aut etiam Legato extraordinario, (juſſu aut permiſſu Principis ſui) teſſeram militarem petat: quanquam non negem Cæſari à Principibus longè majora quàm exteris aut ab exteris deberi, & Cæſarem eſſe juriſdictionis fontem & caput. Sed quoniam alta pariter & baſſa juriſdictio alicui inferiori communicari, imò & ab aliquo jus Suprematus habente quodammodo abdicari poteſt, ideo notandum eſt ſalvam nihilominus manere Superioritatem territorialem cui à parte ſubditorum reſpondet *Subjectio*, cujus nota Homagium eſt ſeu Juramentum Subjectionis. Nam Dynaſtæ minores qui in alicujus Principis territorio *ſubditos Juriſdictionales* habent, altamque & baſſam juriſdionem poſſident, non ideo homagium ſive *ſubjectionem* exigere poſſunt. Subjectio autem in eo conſiſtit, ut ſubditus Principi ſuo id omne præſtet quod ſalva conſcientia & recepta in Imperio hominum liberorum conditione præſtare poteſt. In quo reverentia atque cultus, fidelitas, auxilium atque conſilium (deß Herrn Nutzen fördern und vor Schaden warnen) ſervitiaque perſonalia continentur. Certum eſt enim Officium eſſe ſubditi non

tan-

tantum ut nihil moliatur, quod domino damnoſum ſit & ut dominum admoneat, de malis quæ ipſi imminere deprehendit, ſed etiam ut in caſu periculi ipſemet ei contra vim ſuccurrat etiam non ſine periculo ſuo. Nam cum periculum noſtrum abeſt, ſuccurrere non tantum domino, ſed & cuique hominum debemus. Præterea ſi quid Domini juſſu fiat, etiam injuſtè, modo non de vita ac ſalute ſua agatur, ſubditus opponere ſe per vim non debet. Quanquam autem Dynaſtæ minori, qui in Principis cujuſdam territorio ruſticos quoſdam ſubditos habet, quædam juris hujus ſimulacra competant, manifeſtum eſt tamen, eum ſimul cum ſuis ruſticis Principi ſuo ſubditum eſſe, & ſtatim à Principe coërceri poſſe, armata etiam, ſi opus, manu. At vero, inquies, viciſſim Principem cum ſuis ſubditis eâdem erga Imperatorem & Imperium conditione eſſe, qua Dynaſta quidam ei ſubditus, eſt erga ipſum. Reſpondeo nullam eſſe comparationem, quia Princeps non uni, ſed toti corpori cujus ipſe membrum eſt, fidem quandam potius quam ſubjectionem plenam debet, nec niſi poſt multiplices deliberationes nec niſi bello illato, cujus anceps alea eſt, coërceri poteſt, etiamſi juſtè coërceatur. Porrò ex hac Principum in ſubditos poteſtate pendet etiam Jus *condendi leges* ac *ſtatuta*, quorum communia etiam imperii tribunalia rationem habere debent, modo ipſis communicata ſint ſive rite innotuerint. Huc pertinet jus conſtituendi pondera & menſuras, cudendæ monetæ, de quo & poſtea, conſtituendorum judiciorum, Tribunalium atque Magiſtratuum, indicendorum Conventuum Provincialium, jus habendi Archivi quod fidem ſcripturæ publicæ facit, jus conſtituendorum Archigrammatum ſeu Scribarum Publicorum, quibus non minus ac tabellionibus Cæſareis vel Apoſtolicis in iis rebus, quas in loco ipſis aſſignato, agunt, credi par ſit: jus infamiæ abolendæ, jus aggratiandi, ut appellant, id eſt pœnam remittendi, jus concedendi veniam ætatis, relaxandi juramentum ad effectum agendi, jus concedendi privilegia, atque diſpenſandi à quibuſdam legibus civilibus, tum jus arreſtandi,

Digitized by Google

ſtandi, ut vocant ſive in cuſtodiam dandi, aut in carcerem conjiciendi, jus arma imponendi, in centurias deſcribendi, luſtrandi, jus excubiarum exigendarum, jus ſequelæ tum angariæ ac parangariæ, & quicquid his ſimile aut connexum eſt; denique ad jura in perſona ſubditorum refero *Jus Eccleſiaſticum* quod aliqui Diœceſanum vocant, alii Epiſcopale, quo fit, ut Proteſtantes omnem Epiſcoporum jurisdictionem per ſua conſiſtoria exerceant, ordinationes, cenſuras, excommunicationes, judicia matrimonialia, Eccleſiarum erectiones aliaſque fundationes, denique jus introducendi in ſuis terris exercitium cultus alicujus in imperio permiſſi ſalva ſubditis conſcientiæ libertate. Quæ *in res* competunt Principi, ea ſunt vel in res nullius vel in res ſubditorum. *In res nullius* cum jure ſcilicet alios ab illis acquirendis excludendi. Talia ſunt jus fluminis publici viæque regiæ, jus venationis, aucupii, piſcationis, jus in habita pro derelicto, ejecta à mari aut fluvio quorum Dominus ignoretur, in theſauros (quos alicubi Dominus cum inventore partitur) jus in hæreditates vacuas & caducas, jus alluvionis, inſulæque in flumine natæ, Dominium ſylvarum & ſaltuum in quorum poſſeſſionem nondum quiſquam rite venit, denique jus fodinarum & ſalinarum. *In res ſubditorum* Principi ſive territorii Domino competit jus reditus cujuſdam perpetui ac certi quem ex ſuo conſtituere Principi cuilibet debent Subditi protectionis cauſa, ut pro dignitate ſe familiamque & miniſtros neceſſariæ ad continendos in officio homines, vimque etiam externam propulſandam potentiæ, ſuſtentare poſſit. Deinde jus extraordinariarum ſubventionum, jus indicendi tributa, ſive collectandi ſive viritim ſive jugatim, ſive pro facultatum modo; tum jus imponendi vectigalia certis rebus, ut carni, cereviſiæ, vino, quæ vulgò vocant Ungelt/ (ut Unmenſch/ Unthier.) Jus detrahendi decimam aliamve partem illis qui piſcantur in publico, quive aliquas in fodinis metalli venas exercent, qui terras novales primum colunt, qui ditione excedunt, quod vulgò jus detractionis ſive Abſchuß / Nachſteur vocant, jus Fiſci in bona

bona damnatorum publicata, ac jus in relicta quæ ut indignis auferuntur, jus metatorum (die Einquartirung) jus aperturæ, in omnibus ſubditorum domibus etiam munitis, denique ut verbo dicam *Jus Dominii Eminentis*, ut quidam poſt Grotium appellant, quod publicæ neceſſitatis ratio in ſubditorum bona quævis habenti Suprematum dedit.

CAP. XX.

De Poteſtate Principum non tantùm in ſubditos, ſed & extra territorium ſe porrigente. Item de Jure *Principis Imperii ſeu* Status, *quo pertinet jus Suffragii in Comitiis quod non tacitis calculis peragitur, ſed plurimum hîc ratio & autoritas poteſt.*

T*Ranſeuntia in alios, atque extra territorium porrigentia ſeſe Principum jura* ſunt jus belli & pacis, jus fœderum, jus exercitus habendi, munimenti ſtruendi, armamentarii adornandi, jus repreſſaliarum in eos qui imperii membra non ſunt, retorſionis in eos qui Albinagii jure utuntur, id eſt in eos qui extraneis ſucceſſiones apud ſe obvenientes auferunt, jus vectigalium conſtituendorum pro tranſitu, modo illis alia imperii membra non onerentur, nec niſi exterorum lucra circumſcribantur, jus innoxii tranſitus per alienum territorium petendi, jus interveniendi tractatibus generalibus, & conciliis, quibus res Chriſtianorum publica agitur, jus Mediationis offerendæ, arbitrii ſuſcipiendi, garantiæ promittendæ, jus oppreſſis etiam exteris ſubveniendi: tum dignitas ipſa locuſque inter Chriſtianos Principes debitus, & jus familiæ illuſtris, & perſonæ inviolabilitas. Sed quoniam omnia iſta paulo propius pertinent ad jus Legationis cujus cauſa hæc à nobis ſuſcepta tractatio eſt, ideo paulo poſt diſtinctius explicabimus tum jus belli, pacis, fœderum & quæ huic connectuntur, tum ipſius Principatus familiæque ac perſonæ dignitatem, ubi prius attigerimus ea Principum jura quæ ratione ipſius Imperii cæterorumque ejus ſtatuum competunt; ut ſcilicet partitionem noſtram ſupra poſitam

Digitized by Google

tam abſolvamus. Nimirum Principes prout Imperii Status eſt, tum quibuſdam juribus utitur, tum oneribus aſtringitur; ſed onera nos poſtea attingemus cùm objectionibus reſpondendum erit, quas aliqui à Principum erga imperium obligationibus ſumunt. *Jura Principis ac Status in Imperio* hæc ſunt: ut Imperium ipſi auxilium ac protectionem debeat contra quemcunque; ut alia Imperii membra ſive ut vocant Con-Status, quas cum ipſis habent controverſias, non manu, ſed jure finire cogantur, & à renitentibus ope communi & totius Imperii viribus extorqueri jus atque æquum poſſit; ut Garantia, quam exteræ Coronæ per Inſtrumentum Pacis debent, ipſis quoque proſit; ut ipſi eorumque ſubditi privilegiis civium & omnibus nationis Germaniæ beneficiis fruantur; ut tanquam ſummæ in Imperio poteſtatis participes, in Comitiis Conventibuſque Circularibus (ut de Deputationibus extra ordinem factis nihil dicam) interveniant & in nonnullis ubi unanimi conſenſu opus eſt, ſententiam ipſis gravem ſuſpendant, in aliis ſuo ſuffragio aliquid afferant momenti ad deliberationis ſummam. Neque enim putandum eſt, rem in Comitiis agi ut in Venetorum deliberationibus, ubi taciti ſenatores de re publica rogati, tantum calculis reſpondent, quorum autorem nemo agnoſcat. Unde fit ut illic magis numeri ratio habeatur: in Comitiis verò noſtris non tantum numerus vim habeat, ſed & frequenter autoritas potentiaque ſuffragantis tum ſententiarum atque rationum pondus totum negotii eventum mutant. Nam ſæpe infirmiores ſententiam animi explicare non audent, donec aliquis potentior fiduciam præeundo fecit. Et magni Principes, etſi non niſi unius alteriuſque ſuffragii jus habere videantur, tamen facilè vicinos minoreſque & affinitatibus illigatos, aut beneficiis atque ſtudiis obnoxios in partes trahunt. Unde potentioris cujuſdam familiæ, qualis eſt Brunſvicenſis aut Haſſica vel Wurtenbergica, ſuffragium non minoris in Comitiis ponderis eſſe arbitror, quam alicujus Electoris, tametſi in ſpeciem ſeptem Electores cæteris Principibus omnibus æquivalere videantur, de quo plura infra

infra Cap. 40. Porro in Comitiis potentem eſſe, res ut ſupra dixi non eſt parva. Idem eſt enim ac potentem eſſe in Conſeſſu aliquo generali tot magnorum Principum quorum conſenſus plurimum ad totam Europæ faciem mutandam poteſt, in quo non fruſtra jus ſuffragii Sueci ſibi quæſiere, quod & Galli nuper ſuperioris negligentiæ vel ſuperbiæ pœnitentes, ambiêre.

CAP. XXI.

Competit ipſis jus Armorum, olim inter ipſos quoque; hodie poſt Pacem publicam *tantùm erga exteros, modo non ita ipſum Imperium bello periculoſo implicetur. Hoc jus confirmatum in Inſtrumento Pacis, & in* §. & ut eò ſincerior, *approbatum à Gallia, cum ipſa promiſerit ſe ſingulorum Statuum arma toti Imperio non imputaturam. Conſultiſſimum eſt tamen cum Cæſare communicari, quando rei Conditio patitur.*

PRomiſi jus Belli, Pacis, Fœderum quod Principibus Germaniæ competit, explicare paulo diſtinctius, idque nunc aggredior. Jus belli olim Principibus Germaniæ in exteros competiiſſe, dubitari non poteſt, quoniam ante conſtitutam ſub Maximiliano I. Pacem publicam (den Landtfrieden) competebat ipſis inter ſe. Nam *& Privatis* licebat controverſias ferro dirimere, ut ille plus juris habuiſſe videretur, qui viciſſet. Erat ſpecies probationum vulgarium jure Canonico improbatarum, nam paulo ante monomachiam ſolenni ritu invocabatur Divinum Numen, ut illi faveret, qui juſtiùs arma induiſſet, quaſi ſcilicet deeſſent judicia ac Magiſtratus. Quid Domini facient audent ſi talia ſervi? itaque plena omnis Germanica Hiſtoria eſt bellorum quibus ſe mutuò Principes impetiere. Cæſare tum demum in partes tracto cum favebat alterutri vel rerum Imperii ſumma verti poſſe videbatur. Idque vel ex ipſis Imperii Conſtitutionibus paulo vetuſtioribus apparet, nam Friderici Conſtitutio de Pace tenenda, quæ in collectione Feudorum extat tantum ex Cujacii ſententia annalis fuit, & Conſtitutiones

E Rudol-

Rudolphi & Wenceſlai apud Lehnmannum, fuere, illa triennalis, hæc decennalis, quemadmodum alia Friderici III. ann. 1471. quadriennalis quæ extat apud Goldaſtum. Aurea Bulla Caroli IV. tit. 17. de Diffidationibus, *cum univerſas ac ſingulas guerras liteſque injuſtas* prohibuiſſet, poſtea indicendis atque gerendis juſtis bellis præſcripſit modum. Idem fecit Conſtitutio Francofurtenſis anno 1442. promulgata à Friderico III. quæ Carolinam confirmat, quanquam ipſa Carolina ex vetuſtiore alia deſcripta videatur: addita tantum ſubinde limitatio eſt, ut prius judex de reddendo jure compellaretur, nec niſi denegata juſtitia ad arma quiſquam proſiliret, ut legitur in nonnullis Conſtitutionibus Friderici II. & Friderici III. apud Goldaſtum; ſed hoc nec in Aurea Bulla præſcriptum & parum obſervatum. Eaque fuit facies Imperii donec Maximilianus I. Wormatiæ anno 1495. Conſtitutionem de Pace Publica perpetua lege ſancivit, & poſtea quo ſecuritati publicæ mutuis Ordinum contra turbatores auxiliis conſuleretur, Imperium in circulos deſcripſit. Acceſſit conſtitutio Regimenti ſeu perpetui in Imperio Conſilii, ſub eodem Maximiliano, quanquam hoc ſub Carolo V. rurſus abolitum fuit. Sed ſublato jure belli inter Ordines ipſos gerendi, non ideò ſublatum videtur jus inferendi bellum exteris, ſi modo ſit juſtum & injuriæ vindicandæ, rerumque recuperandarum cauſa ſuſceptum neque imperio periculum creare poſſit. Cum enim Imperium Ordinibus defenſionem debeat ac ſine ſuo detrimento ne denegare quidem poſſit, ne derelicti ab Imperio avellantur; ideo manifeſtum eſt bellum Imperio periculoſum Principes exteris inferre recte prohiberi, nullo Suprematus detrimento. Nam & vicinum Regem, ne bellum nobis periculoſum alteri cuidam inferat, impedire poſſumus. Hoc periculum ſi abſit, pro certo habendum eſt, plenam eſſe Principibus belli juſti gerendi poteſtatem. Nec proinde putandum eſt Imperatoris conſenſum ad omne bellum eſſe neceſſarium, cum Ordinatio Cameralis part. 2. tit. 15. & Receſſus Imperii Auguſtanus anni 1555. §. wo ſie aber. disjunctim aut conſenſum aut cauſam ſufficientem atque in con-

feſſo

feſſo poſitam requi●t. Et verò jam dudum fuit receptum in Imperio, ut Principibus cui vellent, exterorum copias adducere liceret, quemadmodum ſcimus ferventibus olim inter Gallos Angloſque bellis nunc his nunc illis Principes Imperii affuiſſe non ſolos certè, ſed validis cum copiis. Et confirmata videtur hæc libertas militandi ubi libet, Receſſu Spirenſi 1544. §. unnd wie woll ihr. & alio Spirenſi 1570. §. denſelben wir anfänglichen; Receſſu Auguſtano 1582. §. ferner ob woll im Heil. Reich. Et Chytræus refert Joannem Guilielmum Ducem Saxoniæ Gallis anno 1558. adduxiſſe 3400. equitum non certe contemnendam manum. *Jean Guillaume Duc de Saxe a eſté en France au ſervice du Roy Henry II. avec quatre mille chevaux & puis au ſervice de Charles IX. avec cinq mille chevaux. Chaſtelnau liv. 6. de ſes Memoires.* Quin & poſtea Johannes Caſimirus Bipontinus exercitum non exiguum Reformatis Galliæ adduxit neque Cæſareis mandatis retractus eſt ab expeditione. Urbes Hanſæ Teutonicæ grave contra Ericum Sueciæ Regem geſſere bellum, conſenſu cujuſquam neque impetrato neque quæſito: quod tamen non eò dico ac ſi his urbibus jus Suprematus tribuam, nam nonnullæ ex illis ne liberæ ſunt quidem: Liberæ autem Imperii Civitates habent quidem jus Superioritatis territorialis, non tamen jus Suprematus, ut ſupra diſtinxi; quia nec dignitatem Principum habent, nec per ſe exercitum conſcribere, atque in ſuo alere poſſunt. Fœdus autem plurium urbium potuiſſe bellum ſuſcipere ſingulis Suprematum non tribuit; Exemplum ergo earum ideò tantum adduxi, ut jus armorum in exteros exemplis non improbatis aſſererem. Porro res Inſtrumento pacis W●ſtphalicæ in clara ſatis luce poſita videtur, ex duabus inprimis capitibus. Nam in §. *gaudeant* qui in Suecicis non minus ac Gallicis articulis exſtat, manifeſtè Ordinibus jus datur Fœderum cum exteris; Fœdera autem ſive ad inferendum ſive ad propulſandum bellum inita, certè ad arma ſi opus ſit expedienda, ac mutua auxilia referuntur. Alter eſt locus longè adhuc expreſſior in tabulis pacis Germano-Gallicæ, ubi poſt ſtabilitam

Digitized by Google

litam inter Imperium & Galliam de mutuis hoſtibus non juvandis obligationem reciprocam cavetur, ut nec Imperium nec Status ſinguli Circulo Burgundico, quamquam Imperii membro, durantibus bellis tunc vertentibus, auxilia ferre poſſint, ſed in futurum (qui caſus evenit) pacificatione comprehenſum fore, extra ipſum verò ſeu extra Imperii fines non licere Imperio ſe bellis inter Galliam & Hiſpaniam recrudeſcentibus immiſcere; nec Gallis fas eſſe Imperii hoſtibus aſſiſtere, aut Imperii fœderatos invadere. *Singulis tamen Statibus liberum eſſe futurum huic illive regno (etiam extra Imperii limites) ſuppetias ferre, non tamen aliter quam ſecundum Imperii Conſtitutiones.* Unde (tametſi alias litem hanc non faciamus noſtram) maniſeſtiſſimè patet ſingulis Statibus Imperii jus Suprematus ſeu exercitus alendi facultatem habentibus, jus eſſe belli in exteros, cùm vel Hiſpanis contra Gallos vel Gallis contra Hiſpanos impunè ſe conjungere poſſint, Cæſare & Gallia in tabulis pacis hoc permittentibus. Nec vero hic locus diſtinctionem inter *bella offenſiva & defenſiva* recipit, neque eludi poteſt ut alii textus ſolent, quaſi libertate Germanorum militandi ubilibet intelligatur poteſtas quæ privatis, aut etiam Principibus competit velut privato nomine aliquot militum turmas adducendi. Diſertè enim dicitur Imperii Statum, jus ſuppetias ferendi habere; unde certè ſequitur Principem aliquem regnantem ex ſua ditione validam militum manum in exteros ducere poſſe. Aliud enim profectò, ſuppetias ferre velut Statum ſive Principem, aliud centurionis aut tribuni aut etiam Ducis ritu velut privatum alteri militare, quoniam aliud eſt fœderatum, aliud miniſtrum eſſe; & aliud eſt ſubſidia, aliud ſtipendia accipere. Porro ex hoc pacis Gallicæ articulo id certè obtinemus, ut Gallia vel Hiſpania vindicare nequeat ſiquis Imperii Principum contra ipſam pro altera armetur, neque ideò Imperium invadere jure poſſit quoniam hanc illis libertatem ipſamet ſalva pace inter Galliam Imperiumque conceſſit. Quod autem additur, Status ſuppetias exteris Principibus ferre quidem poſſe, ſed ſalvis tamen

Impe-

Imperii Conſtitutionibus; id minimè turbat, neque enim ita intelligi debet ac ſi conſenſu Imperii opus ſit; imò abſurdum eſſet rem ſic intelligi; ita enim perinde eſſet profectò ac ſi Imperium illi ſe hoſtem profiteretur in quem arma hac ratione, licet per certum tantum Principem gerenda quodammodo ſolenniter decerneret; ſed intelligi debet Principes ſuppetias ferentes, curare debere, ne quid Imperium inde detrimenti capiat, & ad conſtitutiones de militibus per aliorum Principum ditiones ducendis ſervandas obligari. Conceſſo igitur Principibus armorum non domeſtico tantum in ſubditos refractarios ſed & in exteros jure, utique manifeſtum eſt concedi & jus agendi delectus, armamentaria & bellicum apparatum habendi, propugnacula atque munimenta ſtruendi, jus tranſitus innoxii per alienas ditiones quæque alia ex belli jure conſequuntur. Cæterum cum Cæſare ipſo ante omnia ſaltem ſecretò communicare, tutius ſemper ac prudentius eſſe arbitror, quando rei conditio patitur.

CAP. XXII.

Jus Fœderum primum inter ſe. Locus Aureæ Bullæ. Cum Gallia & aliis. Utilitas eorum. Fœdus Rhenanum.

JUs *belli* ac *Fœderum* ita connexa eſſe manifeſtum eſt, ut cui unum conceditur, alterum negari non poſſit: itaque quæ uni probando ſerviunt, etiam alteri accommodari poſſunt. In ipſa Germania jam olim ſæpe inita Fœdera, manifeſtum eſt. Nota ſunt fœdera Suevicum, Smalcaldicum, Unio, Liga. Addi poteſt ipſa Hanſa Teutonica Germaniæ Inferioris, & Fœdus Moguntiæ olim initum inter civitates Germaniæ maximè ſuperioris ut ſe ſuaque itineraque inprimis commercia contra nobiles alioſque qui vias publicas infeſtabant, tunc tuerentur. Et in Aurea Bulla Caroli IV. Cap. XV. §. 2. poſt confœderationes (privatorum ſcilicet) improbatas ſubjicitur: Illis Confœderationibus & Ligis dun-" taxat exceptis quas Principes & Civitates ac alii ſuper gene-" rali Pace Provinciarum atque terrarum inter ſe firmaſſe"

„ noſcuntur; illas enim noſtræ declarationi ſpecialiter reſer-
„ vantes in ſuo decernimus vigore manere, donec de his
„ aliud duxerimus ordinandum, Ubi notandum, Imperatorem quidem loqui ſed tamen ſuo pariter ac Statum haud dubiè nomine, Sanctio enim hæc pragmatica fuit. Fœdera cum exteris innumeris exemplis comprobantur. Memini, ait Bodinus, quadraginta ſeptem Fœderum in quæ Reges noſtri Philippus V, Carolus V, VI, VII, Ludovicus XI. cum Germanis Principibus coïerunt, quibus ſe auxilio futuros adverſus omnes excepto Imperatore ac Rege Romanorum, ſpoponderunt. Hæc Bodinus. Idem lib. I. c. 7. memorat Fœdera Civitatum & Principum Germaniæ cum Regibus Daniæ, Sueciæ, Poloniæ ſuperiore ſeculo contracta, quod ſi jam tantus ad Ludovicum uſque XI. fuit Fœderum numerus, quid poſtea factum putabimus? Nam Fœdera Smalcaldicum (quod cum Regibus Galliæ Angliæque tractavit) & Chamborticum (cum Mauritio Saxone initum, cujus caput fuit ipſe Rex Galliæ) nemo ſanè ignorat. Unioni acceſſurus erat Henricus IV. & Halam Suevorum anno 1609. Legatum ejus rei cauſa ad Conventum Fœderatorum miſerat, ſed ingentia ejus deſtinata mors intercepit. Sed (inquies) aliud eſt quid factum, aliud quid jure factum ſit quærere. Reſpondeo ex facto ſæpe permiſſo, quod juri divino atque naturali contrarium non eſt, multa repetitione jus fieri ſolere. Certè ipſa poſſeſſio libertatis magnam vim habet quoniam probationem transfert in adverſam partem: ſed nec Juris ratio deſideratur. Equidem ſi bene conſtituta eſſet noſtra Reſpublica, ſi in ſubitis periculis aliquid ab Imperio opis eſſet, ſi infirmi à potentium oppreſſionibus legum auxilio tuti eſſent, periculoſis remediis qualia non nego fœdera eſſe, extra ordinem non eſſet opus: Nunc in tanta rerum omnium perturbatione, quis non videt, quod aliquam adhuc Rempublicam habemus, fœderibus, deberi? Ita olim fœderibus inter aliquot Imperii Ordines initis repreſſi ſunt turbatores Publicæ Pacis, everſa prædonum caſtella, atque fundamenta jacta ſunt illius Imperii formæ quæ ſub Maximiliano pri-
mo

mo conſtituta hactenus duravit. Fœderibus obtenta eſt pax Religionis, fœderibus libertas Germanica contra nimia affectantes Hiſpanos aſſerta eſt, & nunc ipſo Cæſare annitente fœderibus initis obviam itur formidabili potentiæ vicini noſtris cervicibus imminentis. Ipſum Fœdus Rhenanum toties culpatum atque defenſum Germaniæ magis quam Galliæ profuit, nam laboranti Hungariæ juſto exercitu ſubventum eſt à Fœderatis, cum tardè armaretur Imperium, paratas copias habentibus, quæ in prælio ad S. Gothardum egregiam Reipublicæ operam navavere. Itaque rectè ab eruditiſſimo quodam viro ſcriptum eſt. *Quoniam vinculum Reipublicæ noſtræ nimis laxum eſt, ut Imperii tutelæ firmæ ſatis fiducia inniti non poſſimus, inſtar ſecundæ navigationis eſt, exterorum ope ſecuritati proſpicere. Quemadmodum igitur medicina ſano quidem corpori nocet, ægro autem neceſſaria eſt, ſic fœdera illa cum exteris quaſi emplaſtra quædam languidæ Reipublicæ cenſenda ſunt, quibus ſi illa rectè conſtituta eſſet, abſtinendum foret.* Hæc ille. Sed non eſt opus ut rationibus defendamus quæ Sanctione Imperii pragmatica probantur, res enim Inſtrumento pacis Weſtphalicæ §. *gaudeant*. extra controverſiam poſita eſt, ubi hæc extant verba: *Cumprimis verò jus faciendi inter ſe & cum exteris Fœdera pro ſua cujuſque conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuò liberum eſto, ita tamen ne ejuſmodi fœdera ſint contra Imperatorem, & Imperium pacemque ejus publicam vel hanc inprimis tranſactionem; fiantque ſalvo in primis juramento, quo quiſque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt.*

Digitized by Google

Cap XXIII.

Jus Fraternitatis *ſeu Societatis Principibus noſtris cum aliis Suprematum habentibus Regibus aut Poteſtatibus intercedit, ut in rebus Chriſtianorum communibus ac Conventibus ipſorum aut Miniſtrorum apparere debet. Teſtimonium Henrici II. Galliæ Regis.* Dignitas *noſtrorum Principum. Domus eorum Imperatoriæ, Regiæ, Regiis illigatæ, nobilitatis vetuſtate non cedentes. Arbitria, Mediationes, Garantiæ ab iis exercitæ etiam erga Coronas.*

QUicunque jam jus Belli, Pacis Fœderumque habent, quique exercitum alere & magnis rebus intervenire poſſunt, uno verbo qui *Suprematum* habent, illis competit *Jus Fraternitatis* cum cæteris Europæ moratioris Poteſtatibus; quo jure illud inprimis continetur, ut alter alterum velut æqualem (longo licet potentiæ intervallo) atque ſocium colat, ut alter dignitatis alterius rationem habeat, ut velut habeantur pares ejuſdem Curiæ, in illa communi Chriſtianitatis Republica, cujus certè caput eſt Eccleſiæ Generalis Advocatus Imperator. Ideò ſcimus Principes Germaniæ ad Concilia miſiſſe Legatos, in Conſtantienſi non tantum Bavariæ Ducis, nondum tunc profectò Electoris, Oratores, interveniſſe ſed & (ne quis de charactere dubitet,) in Tridentino Venetis cedere diu noluiſſe, Florentino & Helvetio potiorem fuiſſe. Olim cum cruce ſignaretur potentiſſimus quiſque Chriſtianorum, & in Palæſtinam expeditiones ſuſciperentur, tunc Germaniæ Principes pari cum Regibus jure uſi ſunt, &, caro ſtetit Richardo Angliæ Regi quod Auſtriæ Ducem nulla tum præ aliis Germaniæ Principibus dignatione eminentem, neſcio qua injuria affeciſſet: nam cum terra domum reverteretur in Auſtria captus ingenti pecunia libertatem redemit, unde Viennæ muros ſtructos ajunt. Nunc quoque certum eſt Germaniæ Principes etiam Mediatores, ut vocant, ſive Pacis Conciliatores eſſe poſſe, belli-

Digitized by Google

belligerantes inter Reges: imò & garantiam ſive ſecuritatem paciſcentibus rite præſtare. Nam ad triplex fœdus quod propriæ Aquiſgranenſi Paci ſtabiliendæ initum erat, conſentiente Gallia omnes Europæ poteſtates ne quidem Germaniæ Principibus exceptis invitari fas erat; cùm & Legatos aliquot Germaniæ Principum urgendæ pacis cauſa miſſos Galli haud gravatè audiverint. Et alias Legati Gallici ſæpe profeſſi ſunt paratum eſſe Regem ſuum Electorum ac Principum judicio multum deferre, Francofurti imprimis, cùm Electionem differre ſperarent, tractatione interjecta. Et Rex Chriſtianiſſimus conſenſerat, ut in controverſia quæ illi cum ipſomet Imperio intercedit de decem Alſatiæ Civitatibus & Vaſallis trium Epiſcopatuum, ut non tantum Sueciæ Rex, ſed & nonnulli Imperii Electores atque Principes *arbitri* eſſent; & cum Imperator altero hujus quod nunc flagrat belli anno copias verſus Rhenum deſtinaret, eo obtentu quod Galli nondum Imperii finibus etiam poſt factam cum Brandeburgico pacem exceſſiſſent: Rex publicè ſpopondit revocare Turenium, ſi quos tum nominaverat Principes de Cæſareis copiis viciſſim intra hæreditarias ditiones cohibendis cavere vellent: quin & paulò ante bellum potentiſſimæ cuidam Germanorum Principum familiæ ab extranea corona Societas armorum ſplendidiſſimis ac pene invidendis conditionibus oblata eſt; ſed illis tranquillitas publica privato compendio potior fuit. Nuper etiam Johanni Friderico Brunſvicenſium & Lunæburgenſium Duci à Rege Daniæ, Electore Brandeburgico, atque Epiſcopo Monaſterienſi bello cum Suecis implicitis delata Mediatio eſt. Et olim cum de induciis Belgicis Hagæ tractaretur, Johanninus Præſens, Henrici IV. Legatus non tantum Legatos à noſtris Principibus in Societatem Mediationis admiſit; ſed & cùm Legatus Hiſpanicus literas Legatis Regiis tantùm (omiſſis Legatis Electorum & Principum) inſcripſiſſet, effecit ut hic defectus ſuppleretur quod prolixiùs narratur infra, cap. 58. Poſt tanta exempla atque præjudicia quis cæterarum Europæ poteſtatum Germaniæ

maniæ Principibus ſocietatis atque ut ita dicam fraternitatis honorem neget poſtquam eos omnem Suprematus vim complexos conſtat? Unam tamen adhuc confeſſionem ipſius Galliarum Regis Henrici II. è Bodino (lib. 5. cap. 6.) adjeciſſe operæ pretium erit. Cum enim Germani Principes Legatis ad Regem miſſis poſtulaſſent, ne Albertum Brandeburgicum Pacis publicæ turbatorem protegeret, reſpondit Rex, ſe ſuoſque majores Germanis amicos & eſſe & fuiſſe antea ſemper, nec ab Imperii Germanici amicitia & conjunctione unquam potuiſſe divelli, & quoniam *Principes omnes aut affinitate ac propinquitate, aut certè ſimilitudine ac veluti ſocietate quadam conjunctos eſſe arbitraretur*, novum videri non debere, ſi Principem Germanum fortunis ac rebus afflictis ad ſe confugientem hoſpitio dignaretur. Hæc ille. Neque ſanè quicquam ad confirmandum quod dixi de illo fraternitatis ſive ſocietatis jure, quod omnes Principes atque Suprematu fruentes inter ſe connectit, dici potuit expreſſius atque illuſtrius. Atque hoc loco nonnulla ſeparatim perſequi è re erit, quæ ad dignitatem Principum noſtrorum pertinent. Ex illis Imperatores atque Reges ſumtos multis exemplis conſtat. Auſtriaci, Saxones, Suevi, Luzenburgenſes, (Imperatoriæ ſtirpes) quid niſi Principes Germaniæ? Fridericus Dux Brunſvicenſis Imperator contra Wenceſlaum nominatus à Sicariis occiſus eſt. Ex Palatina domo non Electorali, bis Reges Sueciæ dati, olim Chriſtophorus, at noſtro tempore Carolus Guſtavus: quàm parum eadem domus nuper à Poloniæ Sceptro abfuit? Dani Reges ex Oldenburgica ſive Holſatica familia ſumti. Quid Bullionæum memorem Hieroſolymorum Regem, aut Flandros Conſtantinopolitanum Imperium tenentes, aut Sueviæ Duces Siciliæ ac Neapoleos Reges, aut Ottonem Brunſvicenſem Johannæ matrimonio iiſdem Regnis imminentem? cum conſtet Auſtriacam familiam hodie Caſtellam, Arragoniam, Neapolim, Siciliam, Hungariam ac Bohemiam complecti & pæne Angliam Mariæ & Philippi connubio tantis opibus adjeciſſe. Porro quid crebrius

quam

Digitized by Google

quam matrimonia quibus Imperatoriæ Regiæque domus familiis Principum Germaniæ colligantur? omnia Principum Chriſtianorum ſtemmata huc deſcribenda eſſent ſi exempla colligere vellemus in re vulgatiſſima: plerique noſtrorum Imperatores aut Reges in Majoribus ſuis numerant. Etiam Viduæ Regum aut Regiorum Principum coronæ deſtinatorum nihil de dignitate ſua deceſſiſſe crediderunt ſecundis cum regnante Germaniæ Principe nuptiis. Itaque quemadmodum olim Equites qui Torneamentis admittebantur (Turnier-genoſſen) etſi opibus atque honoribus diſcreti quandam ſocietatis ſpeciem formabant, ita hodie ſupremæ nobilitatis genus non Reges magis quàm Principes noſtros complectitur, confuſo tot matrimoniis ſanguine & eadem ſæpe vel certè nihilo inferiore origine familiarum. Nam Galli Capevingii Saxonica Witekindea origine gloriati ſunt. Hiſpani, Galli, Sueci Reges ortu Germano ſunt. Hæc eſt ergo illa Regum Principumque ſocietas atque, ut ita dicam, Fraternitas, quam toties nominavi, qua fit ut pari conditione cenſeantur, nec ſi veteres mores ſpectemus, Rex Principe quales noſtri ſunt, duellum offerente excuſationem perſonæ habeat; quam tamen Principi ab inferiore provocato jura Heraldica concedebant. Nam quemadmodum Eques non niſi Equiti Turnier-genoſſen ita Princeps non niſi Principi Fürſten-genoſſen obligabatur. Itaque ſi quis inſtituendus eſſet ſummarum Europæ poteſtatum Conventus, Principes noſtri pleno jure intervenirent prorſus ut in Torneamentis Equites. Conventus autem hujuſmodi erant ut paulò ante dixi, Concilia, item Expeditiones ſacræ; & hodie ſunt Congreſſus tractationum pacis alicujus generalis, quanquam per Legatos peragantur. Quare Reges dignitatis Principum noſtrorum rationem habere debent, velut propriæ, quando ſpecie ambas nihil differre oſtenſum eſt.

Cap. XXIV.

Tituli: Nos Dei Gratia, non Majeſtas, ſed Serenitas. Dilectio veſtra. Frater, Conſanguineus.

QUoniam verò *Tituli*, id eſt appellationum vel compellationum formulæ habentur notæ dignitatis, paucis à nobis attingendi ſunt, tametſi ſciam illis per ſe multum tribui non poſſe ac primum ille in omnium oculos ſtatim occurrere ſolet, *Nos Dei Gratia*, vel ſimilis, quo Germaniæ Principes ab antiquiſſimis temporibus ſunt uſi. Nam jam Ottonis II. temporibus quidam Ottho Waſgoviæ Dux eo fertur uſus Anno 977 & Fridericus Sueviæ Dux. Fridericus Barbaroſſæ Imperatoris Avus ita ſcribere ſolitus eſt: Fridericus divina favente Clementia Suevorum Dux & Francorum. Hic vero titulus non niſi illis competit qui jus habent Suprematus, vel ut Rebuffus & Chaſſanæus ajunt, qui ſuperiorem non recognoſcunt: Superiorem autem intelligere debemus, qui in ditionibus alterius poteſtatem habeat manu agendi. Nam alioqui Pontifex atque Imperator ſuprema ſunt Capita Chriſtiani orbis non tantum dignitate ſed & quodam genere juriſdictionis: attamen in ditionibus ſingulorum Regum atque Principum extra intrave Imperium nihil movere poſſunt Regia manu atque vi, ſed jure tantum, atque hoc eſt quod *Suprematum* ſupra definivi. Porrò titulum Dei gratia non niſi Suprematum habenti propriè deberi, etiam Bodinus agnoſcit, nam Ludovicum XI. narrat Ludovico Minoris Britanniæ Duci mandaſſe ut eum de ſuis reſcriptis detraheret, & Petrus Ærodius in Rebus judicatis refert quendam Comitem d'Armagnac Majeſtatis accuſatum quod eadem appellatione uteretur. Principibus autem Germaniæ de ea re nec Cæſar ipſe controverſiam movit unquam. *Majeſtas* Principibus Germaniæ tribui non ſolet, ſed nec Electoribus, ac Principibus Italiæ. Ita enim more receptum eſt, ut Regio nomini atque coronæ connecteretur, ſed ſi rei vim ſpectes, in tantum

ipſis

Digitized by Google

ipſis competit Majeſtas in quantum non differt à Suprematu. Quare dudum à Juriſconſultis decretum eſt, in Germaniæ Principes committi crimen læſæ Majeſtatis. Nam quantum ad appellationem, quid miramur non tributam illis Majeſtatem, cum ne Regibus quidem concederetur; notum eſt enim Electores atque Principes Regibus ſcribentes non niſi *Regiam dignitatem* dediſſe. Et hodieque Imperator Regibus Serenitatem largitur, Majeſtatem non æque, ut ex noviſſimis literis Cæſaris ad Regem Angliæ intelligi poteſt: Cum contra Angliæ Rex in ſuis literis Majeſtatem Imperatori non abnuat. Nimirum præterquam quod Imperator cæteris omnibus dignitate præſtat, notabile hic diſcrimen apparet inter ſtylum, ut vocant, ſive ſcribendi formam exterorum & Germanorum. Germani in ſua lingua dare Majeſtatem, credunt inferioris eſſe, eodem modo quo apud exteros quoque receptum eſt, ut Reges ac Veneti Cardinalibus *Eminentiam* non largiantur, quod alii faciunt. Majeſtatem tamen exteri ſe tribuere alteri poſſe putant ſine ſummiſſione; nam Rex Chriſtianiſſimus Reginæ Chriſtinæ etiam poſtquam Regno ſe abdicavit Regiæ Majeſtatis appellationem in ſuiſmet ipſis literis tribuit, ut ex illis patet, quas Corſici tumultus cauſa ad eam ſcripſerat. Porrò Serenitas Principibus Germaniæ haud dubie competit. Ita ſcripſit illis Regina Chriſtina etiam cum adhuc regnaret. Nec Dania abnuit: ſed quis abnueret, ubi intellexerit Serenitatem (Durchleuchtigkeit) nec à Cæſare Præcipuis quibuſdam negatam. Et cum Maximilianus Archidux à Polonis captus dimitteretur diſcedens Regi Majeſtatem tribuere noluit; itaque alter ab altero Sereniſſimi appellatione contentus fuit, quemadmodum refert Thuanus; in quo apparet parem quodammodo conditionem amborum fuiſſe. Quod attinet titulum *Fraternitatis*, ille Germanorum ſtylo communi ignotus nec niſi inter illos uſitatus fuit, qui ut in conviviis noſtris ſolet, hanc velut ſingularis amicitiæ teſſeram ſumſerant. Sed apud exteros tranſiit ille in formulam, uſque adeo ut etiam inter Cæſarem & Moſcum uſurpetur; videturque Gallicum *frere* reſpon-

ſpondere Germanico E. Liebde / Dilectio veſtra: ut hoc Gallis, ita illud Germanis, inſolens; utrumque inter pares uſurpatum & Principibus Germaniæ ab exteris partim tributum, partim debitum. Nam Rex Sueciæ Daniæque, atque alii omnes qui Germanicè ſcribunt, non dubitant Principes noſtros appellare E. Liebden. Rex autem Poloniæ qui Latinè ſcribit, fratres vocat, nullo Electorum ac cæterorum Principum diſcrimine; idem fecit Venetorum Dux, regiam licet perſonam referens literis ad Lunæburgenſes ſcriptis cum Reſpublica pro auxiliis gratias ageret. Gallia haud dubiè olim fraternitatem Principibus Germaniæ negavit, quod ab illis non reciperet Majeſtatem ſed tantum Regiam Dignitatem: noviſſimè cum Electoribus quodammodo ita tranſegit circa pacis Monaſterienſis tempora, ut Rex ab ipſis Majeſtatis appellatione cultus, ipſis redderet nomen fratris: quo artificio effectum eſt, ut Principes exemplo Electorum velut tracti, Majeſtatem darent, nec fraternitatem viciſſim ſtipularentur. In quo Principum noſtrorum facilitas apparuit qui nunquam decorum putavere contendere de nugis; itaque facilè inducti ſunt ut Reges Galliæ Angliæque Majeſtatis nomine ſalutarent, licet ipſi tantum cognatorum appellatione reſalutarentur. Quoniam rara pleriſque eorum cum exteris commercia & animus ambitione vacuus, rerumque medulla contentus, verborum inania ſpernebat. Nunc ubi facilitatem ſuam verti in ipſos & argumenta, inepta ſanè, à ſua patientia duci vident; credibile eſt juris impoſterum tenaciores fore, nec niſi illis Regum adſcripturos Majeſtatem, qui Serenitatem & appellationem fratris reddent. Nec verò eſt cur Galli ſtylum veterum ingerant, cur enim erga Electores & pleróſque alios mutavere? An hoc in ſua poteſtate eſſe putant diſtinguere eos qui pari jure utuntur? Quicquid in Publicis ſolemnibus uni conceditur reliqui ejuſdem conditionis ſibi rectè vindicant. Nam cum honor in comparatione conſiſtat, unum Sociorum infra cæteros honorare, eſt contumelia afficere. Et quis ferat Magnum Germaniæ Principem nullis Regibus ſpecie dignitatis, nonnullis nec

nec potentia, ceſſurum, à Rege appellari cognatum *(Mon Couſin)* tantiſper dum quidam Galliæ Domicelli Regi ſine conditione ſubjecti, nudius tertius nati Duces, aut Mareſchalli, cum quibus multi Germaniæ nobiles conditionem non mutent, eâdem appellatione honorantur. Nam quod olim Duces Pareſque Coronæ cognati Regum appellabantur non miror, nam erant certè plerique Regibus ſanguine juncti, ingentium ipſi Regionum Domini ut Dux Burgundiæ, Neuſtriæ, Aquitaniæ, Comes Flandriæ, Toloſæ, Campaniæ, quorum hodierni Duces ac Pares ne umbra ſunt quidem. Alioqui *Cognati* appellatio perhonorifica eſt; nec ſemper ſuperioris ad inferiorem, ſed aliquando contra inferioris erga ſuperiorem; cujus rei exemplum habemus non injucundum ex relatione Legationis nuperæ quam Baro Bottonius Cæſaris nomine in Moſcovia obiit. Nam cum ipſe Czarius nuper defunctus Cæſarem fratrem nominaret, filius Czarii (qui nunc regnat) eundem Cæſarem tunc appellavit cognatum, rectè profectò quippe patris ſui fratrem. Porrò non habent Galli cur Cæſaris exemplo utantur, qui Principes Imperii non utique vocat fratres, fateor ſanè ſed nec ita vocat Electores. Scimus enim Electores Eccleſiaſticos ab eo appellari Neveu nepotes, ſeculares Oheim / Patruos vel potiùs *Cognatos:* in quo illos Imperator ab aliis Principibus non diſtinguit, quos etiam Oheim / ſive cognatos appellat; quare ſi Rex Galliæ Imperatoris Exemplum ſequi vult, in hac re Principes ab Electoribus non ſeparabit. Sunt alioquin Galli ſatis in hoc genere largi, & nonnulli quos Rex Galliæ cognatos vocat, fortè ne Principes quidem Germaniæ hoc nomine dignarentur. Unde apparet Gallorum irregularitas, dum ipſi ſibi interea velut rationis, ſi Diis placet, ſervantiſſimi, mirè domi plaudunt. Quæ omnia eò dico ut intelligant ridiculum eſſe veterem ſtylum, cæterorum omnium ratione mutatum, tantùm erga Principes Germaniæ ſervare velle; cum tamen conſtet verba velut nummos, non ex prima percuſſione, ſed uſu ſeculi valere.

Digitized by Google

Cap. XXV.

Aliæ Principum Prærogativæ ſeu Privilegia. Soluti legibus civilibus. Omnem ſolennitatem ſupplent. Veneratio ſingularis ipſis, eorum domui, ſtatuis, idiographis debita. Perſonæ inviolabilitas.

POſtquam potiſſima executi ſumus, quæ reliqua ad dignitatem Principum Germaniæ pertinent, velut per ſaturam colligamus. Nimirum Principes Germaniæ, quemadmodum omnes illi qui Suprematum habent, ſoluti ſunt legibus juris privati. Prorſus quemadmodum in Jure Romano paſſim Imperator dicitur ſolutus legibus, & in l. ex imperfecto. C. de Teſtamentis, dicitur: Lex Imperii ſolennibus juris Imperatorem ſolvit. Nec teſtamenta eorum, nec hæreditates alligantur ſtatutis locorum, quicquid illi dixerint qui de jure ſuccedendi in Brabantiam diſſeruere. Valent eorum teſtamenta mero jure gentium, quemadmodum teſtamenta militaria facta in procinctu. Et notabile eſt Caroli Auſtriaci Marchionis Burgavienſis teſtamentum, quod ſine ullis teſtibus validum eſſe reſpondit conſultum Collegium Juriſconſultorum Tubingenſe apud Beſoldum in conſiliis. Valet donatio inter virum & uxorem, Principes. Conſtitutiones juris communis quibus renuntiationes filiarum arctè circumſcribuntur., & nonnunquam irritæ redduntur, locum apud Principes non habent. Donationes ab illis factæ inſinuatione non indigent licet quingentos ſolidos excedant. Plerique jam à decimo octavo ætatis anno obtinent privilegia majorum quod tempus Electori quoque ad functiones Imperii neceſſarium eſt. Neque in Germania uſpiam uſitatum, ut quiſquam ſimul è tutela curaque exeat cum contra in Gallia Reges quatuordecennes, ætate majores cenſeantur. Creditur Principibus etiam injuratis, & in omni actu interventus eorum atque autoritas ſupplet, quicquid ſolennibus deeſt. Committitur in eos læſæ Majeſtatis crimen, quod in Aurea Bulla de Electoribus aſſertum Juriſconſulti Ger-

Germaniæ communi conſenſu ad Principes cæteros pertinere docent; atque ita in foro ſervari monent Bocerus & Gigas qui de Crimine Majeſtatis libellos edidere, & Stammius Aſſeſſor Cameræ Imperialis in libro de Servitutibus perſonalibus, cum Juriſconſulti iidem ſentiant in Cardinales tantum committi crimen perduellionis. Eorum familia domuſque peculiari inviolabilitate gaudet, & Conſuetudines his qui Pacem Burgenſem (den Burgfrieden) abrumpunt, id eſt, qui in domo Principis vim adhibent, amputationem manus minantur. Sed & ſtatuis Principum atque imaginibus & armis & ſigillis, & idiographis peculiaris honor, perſonis autem etiam veneratio ſubmiſſa debetur. Ut taceam ſacras ubique & inviolabiles cenſeri, de quo Arniſæus peculiari libello de *Perſona Principis ſemper inviolabili*: itaque ineptus ille quorundam error eſt, qui ſibi ex veteribus quibuſdam næniis perſuadent Principem in alterius territorium ſine venia intrantem ejus fieri captivum. Bona quoque neque pignorationibus neque arreſtis ſubjiciuntur & ſucceſſores ex anteceſſorum debitis non tenentur, niſi in quantum ipſi inde locupletiores facti ſunt, aut in rem Principatus verſum eſt. Denique quicquid juris atque regalium ſibi veteres Imperatores lege Regia ſumſere, quicquid noſtri temporis elegantia & cultus ex jure Suprematus ulli Regum tribuit, illud omne Sereniſſimis Germaniæ Principibus competere certum eſt, excepta Majeſtate (quam Imperatori ſoli deferunt) illiſque circa quæ communis utilitatis cauſa pactis à jure ſuo, ſalva tamen dignitate receſſere.

CAP. XXVI.

Objectiones contra Principum Suprematum. Bodini, quod ſunt meri & abſoluti ſubditi Imperii, ſeu Comitiorum. Teutoburgii contra Heromontanum Principibus Majeſtatem propriè tribuentem. Vaſalli ſunt Ligii; homagium, imò ſubjectionem debent. Videntur damnari poſſe, de quo exempla.

HÆc de honore ac poteſtate Electorum ac Principum Germaniæ ſufficiant è multis quæ in promptu erant

paucà & ſelectiora. Ne tamen una tantùm parte audita ſententiam ferre videamur, operæ pretium erit producere, quæ contra ingeruntur. Bodinum ſanè audire operæ pretium erit: [*Putabam ego quidem antea*, (inquit lib. 2. cap. 6.) *Principes ac Civitates Imperiales habere jura Majeſtatis, nec alienis Imperiis aut legibus, ſed jure tantum fœderis & ſocietatis inter ſe obligari, ſed ab hac ſententia diſceſſi cum propiùs animadverti, Germanorum Conventus ſummum jus Majeſtatis habere, nec tantum Principes ſed etiam Civitates, mulcta, exilio, proſcriptione ac pœnarum ac judiciorum acerbitate coërcere, quin etiam ipſos Imperatores de Imperio dejicere, ut Adolphum inprimis & Wenceſlaum; leges autem quæ in Comitiis Imperialibus feruntur, non modo Principes & Civitates ſed etiam ipſum Imperatorem tenere. Jam verò decem Circulares conventus, qui in ſingulis Provinciis coguntur, Univerſitatis Comitia ſequuntur, rogationes illuc referunt, leges illinc accipiunt & Decretis parent.*] Hæc ille. Idem alibi de capite, fama, fortunis Principum judicandi jus penes Comitia eſſe. Et Autor animadverſionum in Heromontanum qui ſe *Teutoburgium* vocat, vir ut apparet, doctus, ita inquit: [*Heromontanus Principibus Germaniæ propriè dictam vindicat Majeſtatem, quod ut credam nondum poſſum adduci, nec habet unde me eò adducat Heromontanus. Nam poteſtas in territorium quidem Principibus competit, non autem vera ac propria notione loquendi ſumta Majeſtas. Quandoquidem non modo jurant, ſe Imperatori & Imperio fideles ſed etiam ſubjectos & obedientes futuros: idque indicant hæc verba juris jurandi* Treu / Hold / Gehorſamb und Gewärtig;. *Abſurdus ſit qui hinc ſocietatem ac fœdus inæquale exſculpat. Multò magis errant, qui cenſent Ordines Imperii Sacramentum non tam Subjectionis quam Fidelitatis Imperatori dicere. Omnium denique maxima abſurditas eſt eorum, qui credunt ſolennia Inaugurationis beneficiariæ* (Inveſtituræ) *moris ſolum eſſe, non juris. Quam cauſam malè tuetur noſter cum ſuo Monzambano.*] Hæc Teutoburgius contra Heromontanum. Et ſane nihil vulgarius, quam ut Principes ſe

Impe-

Imperatori ſubjectiſſimos profiteantur, paſſimque in publicis Actis appellantur dem Heiligen Reich unmittelbahre/ unterthänige oder unterworffene Stände/ immediatè Imperio ſubjecti Status. Homagii ſive Sacramenti quod Cæſari dare ſolent formula hæc continet: Sie wollen Ihr Käyſerl. Majeſt. und dem Heiligen Reich Treu/ Hold/ Gehorſamb und Gewärtig ſein/ auch nimmer/ wiſſentlich in dem Raht ſein noch einwilligen oder befehlen/ da ichtwas wieder Ihre Käyſerliche Majeſtät oder das Reich gehandelt wird in einige wege/ ſonder deſſen Ehre/ Nutzen und Frommen befürderen und ihn vor Schaden warnen. Nec dubium eſt quin Electores Principeſque Germaniæ ſint Imperatoris atque Imperii Vaſalli Ligii, id eſt qui Imperio contra omnes opem debent, & in omnibus aliis obligationibus quas contrahunt Imperatorem & Imperium excipere jubentur; Vaſallos autem Ligios ajunt parum diſtare à Subjectis. Nec aliquid crebrius etiam ab Electoribus maximis auditum, quam Imperatorem eſſe Imperii caput ſupremum. Joh. Georgius I. Elector illud ſæpe in ore habebat, Käyſerl. Majeſt. ſey ſein rechtmäſſiges Oberhaubt. Unde difficillimè adduci potuit ut in fœdera cum exteris conſentiret nec niſi extrema neceſſitate cogente Guſtavo Adolpho acceſſit, & cum primum tolerabilibus conditionibus potuit redeundum ſibi putavit ad Imperatorem inita Pragenſi Pace. Nihil olim frequentius quam proſcribi Principes ſive in Bannum Imperii incidiſſe declarari & ſpoliari ditionibus. Illuſtre exemplum dedit Henricus Leo maxima ditionum parte exutus à Friderico Barbaroſſa, qui & Hermannum Comitem Palatinum quod abſente Cæſare Germaniam turbaſſet, ſcabioſum canem in publico conventu ſuis humeris portare coëgit. Sed & ſuperiore ſeculo Carolus V. ſibi licere putavit Joh. Fridericum Saxoniæ Electorem capitis damnare, & ubi vitam intercedentibus Principibus conceſſit, Electorale decus cum parte ditionum auferre, Philippum autem Haſſiæ Landgrafium in vinculis habere. Nec ita olim Ferdinandus II. primum Friderici

Palatini Electoratum in Bavarum tranſtulit, & ademtum Megalopolitanis Principibus Ducatum Fridlandiæ Duci, conceſſit. Ipſe Hippolytus à Lapide, & qui liberrime in Cæſarem dixere, agnovere tamen pares Curiæ de Principum Imperii Vaſſallorum capite ac fortunis judicare poſſe, quod judicium vocant das Fürſtenrecht / & hodie plerique in Comitiis ipſis id reſidere putant. Unde conſequitur ſubditos eſſe: ut taceam in ſummis Imperii tribunalibus rectè conveniri mandatis Cæſaris nomine emiſſis ac ſæpè pœnalibus & ſine clauſula (id eſt abſolutis neque excuſationem obedientiæ admittentibus) in officio contineri, & ſi imperata facere recuſent, ſecundum præſcriptam executionis formam Circularium Ducum miniſterio cogi. Denique manifeſtum eſſe videtur Electores Principeſque Germaniæ Majeſtatis damnari poſſe, quæ eſt vera nota ſubditi, ut ajunt Juriſconſulti, ex Clementina *Paſtoralis.* verſ. *rurſus non eſt ſilentio.* de Sentent. & Re judicata. Ubi Pontifex pro Roberto Rege Siciliæ rationem reddit, cur ob confœderationes ac conſpirationes contra Henricum Imperatorem, Majeſtatis damnari non poſſit, cum ſcilicet ſubditus non ſit.

Cap. XXVII.

Aliquid in his Veri. Plus debetur Cæſari quàm quidam tribuunt. Non videtur tamen vel Ipſe vel Imperium Principes Jure capitis damnare jure poſſe. Quoniam eorum perſonæ inviolabiles eſſe videntur. Et ob eam maximè cauſam merè ſubditi non ſunt. Reges exteri feudorum nomine, ſimile Cæſari homagium præſtant.

HÆc ſunt potiſſima quæ paucis & in ſumma contra Electorum atque Principum Imperii libertatem ac Suprematum dici poſſunt, in quibus fateor multum eſſe veri, neque enim ex eorum ego numero ſum, qui dignitatem Imperatoris, quæ omnibus Imperii civibus ſacra eſſe debet, convellere cupiunt, ut Electoribus atque Principibus adulentur.

Tan-

Tantum ſolida à ſpecioſis diſtinguere, tum falſas conſequentias ex veris ſententiis ductas retegere fas opinor erit, in quo me ita ſpero verſaturum, ut neque ex veteribus næniis præſentia dijudicem, neque tamen ex eo tantum quod hodie fit id quod fieri deberet, colligam. *Fateor enim in nonnullis paulo plus Cæſari concedendum videri quam Principes atque Electores aliqui rebus ſuis conducere putant.* Sed hæc uberius explicare alterius eſt loci. Nunc ut rem præſentem agamus ante omnia illud conſiderandum eſt, quicquid præcedente paragrapho habetur, in Electores non minus quam alios Principes dici poſſe. Nam audivimus Hermannum Palatinum per contumeliam canem in Comitiis ferre coactum, Johannem Fridericum Saxoniæ Electorem capitis accerſitum; Fridericum Palatinum fortunis omnibus ſpoliatum, dignitate exutum atque loco motum, & tenuiſſe Cæſaris Decretum, atque in ipſam poſteritatem valuiſſe conſtat. Neque video quomodo in Principem majora poſſint exempla edi. Nihilominus à Regibus hodie Fratres appellantur & Legatis eorum idem qui Regiis honor conceditur, ipſo nunc Imperatore (quod multis creditu difficile videbatur) annuente. Quare vinculum quo Imperio omnes obſtringuntur aut Electoribus objici debuit, aut nec Principibus debet. Deinde ſi ipſe Imperator conſenſu Ordinum deponi atque in ordinem privati vel ſaltem Principis ſimplicis redigi poteſt, ut quidam arbitrantur, ſequitur tunc etiam contra ipſum lege agi poſſe; ac proinde qui ſic ratiocinantur, caveant ne Imperatorem ipſum faciant ſubditum, dum Principes in hanc claſſem detrudunt, quæ certè & Bodini ſententia videtur, Majeſtatem eſſe in Comitiis; ſingulos verò, Imperatorem, Electores, Principes, non niſi Magiſtratus ac proinde ſubditos eſſe & in capitis fortunarumque diſcrimen adduci poſſe. Quod ex ipſius principiis manifeſtè conſequitur, nam Majeſtatem indiviſibilem eſſe arbitratur & mixtam Reipublicæ formam reſpuit. Hoc amplius, ſi Electores Principeſque Germaniæ, homagio quod Cæſari præſtant, ſubditi, etiam perſonarum ſuarum ratione, fiant, neceſſe eſt profectò etiam

Regum Hiſpaniæ, Daniæ, ac Sueciæ perſonas, Imperio acquiſitas atque ſubjectas eſſe & capitis atque famæ judicium in Imperii Comitiis ſubire debere, ſi quis ſit qui accuſare velit. Certum enim eſt nullum eſſe planè diſcrimen inter formulam Sacramenti quod exteri Reges aut quod Germaniæ Principes Cæſari atque Imperio dicunt. Certè Galli ſimili ratiocinatione contendebant, Carolum V. velut Flandriæ Comitem Galliæ Coronæ non tantum hominem ligium ſed & ſubditum eſſe, neque Imperiali dignitate ab Electoribus delata ab inviti Domini jure eximi potuiſſe. Iidem negabant eundem poſſe ſimul eſſe hominem ligium plurium, neque proinde Carolum V. rectè feciſſe, quod, cum Comes Flandriæ eſſet, Neapolim & Siciliam ſub Feudi ligii conditione à Pontifice accepiſſet. Cujus rei ratio eſt quod homo ligius domino fidem atque ſervitia militaria debet contra quemcunque: neque ideò ſe totum pluribus obſtringere poteſt, neque Dominis duobus ſervire, qui inter ſe collidi poſſunt. Unde intelligi poteſt veteri more multis viſum Vaſalli ligii obligationem conditioni Subditi affinem eſſe, & perſonam afficere creditam. Ideò Pontifex Romanus eam conditionem Regibus Neapoleos & Siciliæ tuliſſe dicitur ut ne injuſſu ſuo unquam Coronam Imperialem ſuſciperent etiam delatam. Et Vaſalli olim ipſi venire & fidem dare cogebantur, ejuſque rei cauſa ſæpe Reges Angliæ aut Principes Walliæ mare trajicere coacti ſunt, ut Ducatus Aquitaniæ, & Pictavienſis atquè Monſtrolienſis Comitatuum nomine Sacramentum dicerent. Gratiæ loco habebatur, ſi Legatus à Domino miſſus jurantem in fidem acciperet quod Galliæ Rex Philippo Archiduci Auſtriæ Caroli V. Patri indulſit, miſſo ad ipſum Cancellario cui ſedenti ſtans Archidux tecto detectus homagium præſtabat, paratus in genua ſe ſummittere, niſi Cancellarius contentum ſe voluntate dicens ſublevaſſet. Dominos autem procuratores à Vaſallis recipere cogi, tunc inauditum. Tum vero ſi quod bellum movebatur Vaſallum ipſum copias adducere Domino neceſſe erat, ejuſque vitam, famam, ditionem proprii corporis objectu tueri: ſi deſeruerat Dominum in diſcri-

mine,

Digitized by Google

mine; non tantum ditionis, ſed & capitis ſui id faciebat periculo; judicibus, Curiæ ejuſdem Paribus, id eſt Convaſallis. Hæ tamen tam duræ Feudorum leges non deterruere magnos Principes, quo minus lubenter quas poſſent ditiones cum adſcripto onere, obtinere conarentur. Eduardus III. Anglus diu deliberans an Regiæ Majeſtati Vaſalli humilitas conveniret, tandem quaſcunque conditiones ſubire, quam opimis ditionibus quas in Gallia tenebat carere maluit. Ipſi Galliæ Reges Ludovicus XII. & Franciſcus I. nihil quærebant ardentius quàm Mediolanenſem Ducatum, parati ſeſe Vaſallos Ligios, imò (ſi Principes Imperii ſubditi ſunt) ſubditos, ſi Diis placet, Imperii, reddere. Monaſterii deliberabant Galli an Alſatiam Feudi nomine ab Imperio tenere ſatius eſſet. Et noviſſimo Flandrico bello quæ Rex ſuus Hiſpanis eriperet pari ab Imperio conditione tenere Ratisbonæ obtulerant. Imo olim ſi Scaligerianis poſthumis credimus [*Le Roy de France, a de tout temps dû hommage au Duc de Bourgogne à cauſe de Bologne; Froiſſart le raconte.*]

CAP XXVIII.

Vaſalli etiam Ligii hodie non abſolutè & perſonaliſſimè, ſed pro modo Feudi obligantur. Hinc hodie idem plurium Vaſallus ligius eſſe poteſt. Bello inter Imperium & Galliam flagrante quidam Principes à Gallis neutrales habentur, etſi pro modo Feudi ad arma Imperii contra Galliam contribuant. Ergo non ſunt propriè ſubditi. Mirum non eſt Principes, hodie haberi quoad perſonas liberiores quàm olim; nam & privati hodie magis liberi cenſentur, habent enim jus emigrandi ſeu mutandæ Reipublicæ ac Domini, quod olim dubium. Conſultum Regibus ac Principibus ut ipſi eorumque cognati inviolabiles & ſacri habeantur.

HÆc ergo quiſquis mecum expendet, agnoſcet ſanè ex Sacramento quod Electores atque Principes Cæſari atque Imperio dicunt, propriè dictam abſolutam perſona-

rum ſubjectionem, quæ ſcilicet juri Suprematus obſtat, conſequi non poſſe; aut fatendum erit, Reges exteros, qui Principes Imperii ſunt, Imperio perſonaliter eſſe ſubjectos ibique conveniri poſſe criminaliter. Neque enim uſpiam lege cautum eſt, ut meliore quam alii Principes in Imperio conditione eſſent. Sed quid ad duras ſanè juris Feudalis & Vaſallorum Ligiorum leges dicemus? Quid niſi & rationi quodammodo contrarias fuiſſe & nunc meritò quodam gentium Europæarum conſenſu temperatas eſſe. Quid enim ineptius quam ob ſolennia homagii verba, quæ dicere Galliæ Regi Rex Angliæ & Hiſpaniarum Aquitaniæ aut Flandriæ nomine cogebatur, tantorum Regum perſonas Galliæ Regibus quæſitas fuiſſe putare. Certè ſubditi mei ſubditus ſubditus meus eſt. Hoc unum ergo reſtabat ut Gallia Angliam quoque & Hiſpaniam & ſub Carolo V. quem ſubditum ſuum dicebat etiam Imperium ſibi quæſitum diceret. Miror Auberium inter cæteras ratiocinationes quibus jus Regis ſui in Imperium ſtabilivit, ſe uno dignas, hanc quoque non produxiſſe: quæ cum ſint ridicula, fatendum eſt neque olim tenuiſſe erga Principes hunc ſubjectionis rigorem, & nunc multo minus. Ubi jam pulcherrimo temperamento res eò redit, ut Vaſallus non tam perſonæ quam territorii nomine quod tenet, obligatus ad ſervitia videatur. Itaque hoc jure uti hodie videmur, ut Vaſallus qui feuda à pluribus tenet unicuique etiam contra ſe invicem belligerantium, miſſis pro feudi modo ac menſura auxiliis, ſatisfacere poſſit. Quod niſi concedimus cur eundem feuda à pluribus tenere conceſſimus? Atque hoc Principio ſemel recepto manifeſtum eſt Vaſallum Principem ſervitia perſonalia non amplius debere, alioqui enim cogeretur eſſe ſimul in pluribus locis. Ex eodem jure manat, quod Rex Chriſtianiſſimus Principes noſtros, qui non niſi proportione in Comitiis imperata militem contra ſe miſêre, non pro hoſtibus, ſed neutri adhuc parti addictis habet. Agnoſcit enim eos quod faciunt ex feudi natura feciſſe, quod ſi Principes Germaniæ eſſent *ſubditi meri*, profectò bello à Domino id eſt Imperatore & Comitiis Galliarum Regi denun-

denuntiato, etiam ſubditi omnes & in his Principes noſtri pro hoſtibus à Gallis haberentur nec *Neutralitatem* ſervare poſſent. Et quid miramur Principes hodie quàm olim liberiores eſſe, cum ſubditis ipſis hodię plus multo concedatur. Magna enim olim de *jure Emigrandi* quæſtio erat, & Bodinus autor harum rerum non malus contrà multis diſputat: hodiè verò eo jure utimur ut ſubditis plena ſit facultas mutandi domicilii. Fœderatas Provincias Germanis, Gallis, Anglis, repletas conſtat; & unicuique Germano in Gallia jus civitatis ſive, ut vocant, literas naturalitatis impetrare licet. Viciſſim Gallos admittimus, & Rex eos nullo jure revocaret quando ipſe Germanos Cæſare revocante non eſſet dediturus. Olim dura erant in peregrinos jura & nonnullis in locis cum domicilium poſuerant capti cenſebantur inſtar feræ beſtiæ & in quandam aſſcriptitiorum reducti conditionem, unde Wildfangiatui nomen fuit, quanquam ſint qui aſſerant vetere lingua Wild idem eſſe quod peregrinum, unde hodieque dicitur, ein Wildfremder. Nunc alia eſt, ni fallor, ratio rerum. Quare peccant illi in noſtri ſeculi felicitatem, qui ſubinde homines liberos in ſervitutem trahere, & antiquata veteris ſervitutis carmina revocare contendunt, durumque erat & planè præter gentium jura quòd Galli nuper, eos qui in occupatis ditionibus bona habebant, venire juſſêre, non venientium bona publicavere. Nam cum iidem ſub Hiſpanis & Batavis alia prædia tenerent, his viciſſim pari cum Gallis jure atque conditione ad ſe vocantibus, innocentes homines alterutro in loco ſuis bonis neceſſariò exuebantur. Sed hæc obiter, atque ideo tantum adduxi, ut pateret cum hodie liberiores longè quam olim homines ingenui cenſeantur, minùs mirum videri, quòd in ſeculo tam culto Principes, quorum perſonæ omnibus ſacræ & ipſis inter ſe quadam cognatione conjunctæ videri debent, inviolabiles & à judiciis capitalibus omnique contumelia immunes cenſemus. Olim cum feri magis hominum mores eſſent, novum non erat Imperatores, Reges, Principes, non tantùm ſolio excuti ſed & occidi cum cruciatu excæcari, emaſculari aliterve mutilari

cilari vel certè tonſos in monaſterium trudi: in Hiſtoria Conſtantipolitana nihil eſt frequentius, ſed, ea re factum eſt ut vilis Regum Principumque ſanguis videretur, aſſueto eorum ruinis atque contumeliis populo, & quæ hodie non ſine horrore leguntur, quietè ſpectante. Execrationi omnibus eſt crudelitas Caroli Andegavenſis in Conradinum Suevum & Fridericum Auſtrium. Ipſa Anglia ejus immanitatis hodie dedit pœnas, qua in Regium ſanguinem magnoſque Principes olim ſævitum eſt. Nam & Cominæum memini dicere, triginta annorum ſpatio octuaginta Regiæ ſtirpis Angliæ Principes bellis civilibus aut ſuppliciis interiiſſe, & Mariæ Stuartæ tragicus exitus à prudentibus probari non potuit, docuitque eventus quàm periculoſum ſit, aſſueſcere populum ſpectaculis in Principes funeſtis. Quemadmodum ergo ille dixit, Deorum injurias Diis curæ eſſe, ita quicquid in Principum contumeliam fit, cæteris Principibus vel ipſo exemplo abominandum videri debet. Recte itaque Henricus II. Galliæ Rex, quem ſupra Cap. 23. laudavimus, cum Albertum Brandebúrgicum patrocinio tueretur, aſſeruit quandam inter Principes propinquitatem & velut Societatem eſſe videri, & dignitatem atque ſalutem eorum omnibus curæ eſſe debere: prorſus quemadmodum, laxiore tamen ſenſu, dixerat Juriſconſultus Romanus, cujus verba in Digeſtis Juſtiniani extant, *Quandam inter homines à natura cognationem conſtitutam, unde hominem homini nocere nefas eſſe.* Denique quod ut ſupra monuimus, Principes, ſaltem Proteſtántes, nullum in matrimonialibus cauſis judicem agnoſcunt, id nullam aliam rationem habet, quàm quod perſonæ Principum ſunt liberæ, ideoque in iis quæ mere perſonalia ſunt, qualis eſt matrimonii Obligatio non niſi conſcientiæ vinculo obſtringi poſſunt,

Cap.

CAP. XXIX.

Hodie nimis crudelis haberetur veri Principis damnatio. Ditionibus quidem ab Imperio ſpoliari poteſt, ſed jure belli, ut etiam Princeps extraneus. Hodie enim tali controverſiæ tum ob viciniæ rationes, tum prætextu Inſtrumenti pacis extranei interveniunt. Itaque talium cauſarum quæ bello decidendæ ſunt, propriè non ſolum Imperium ſed tota Europa judex ſit. Præterea quæ Principum religionem, libertatem, ac fortunas, & ſimilia ſpectant, videntur in Comitiis non tam numero quàm amica compoſitione tractari, niſi, ſumma neceſſitas vim poſtulet. Tunc enim is qui puniendus eſt, revera ut extraneus Princeps, hoſtis judicatur.

UBi verò ſemel obtinuerimus Principum perſonas eſſe liberas & inviolabiles, jam manifeſtum eſt, eos *merè ſubditos* ſimpliciter ac propriè cenſeri non poſſe: ille enim demum *merè ſubditus* eſt in quem ſi peccet, capitaliter animadverti jus faſque eſt. Principem aliquando canem ſcabioſum ferre coactum non magis noſtris moribus congruit, quam quod Joſua decem Reges bello captos ſuſpendi juſſit, & Seſoſtris trahentibus Regibus curru vectus eſt, Romani verò ductos in triumphum Reges in carcere necabant. Quod Carolus V. Johannem Fridericum Saxonem capitis damnavit, magis in terrorem factum arbitror, quam quòd animus ipſi eſſet exequendi ſententiam quam dixerat; ſi facere auſus fuiſſet, ipſo rei horrore omnium à ſe voluntates avertiſſet. Cæſari per ſe jus capitalis ſententiæ in Principes eſſe nemo credit, itaque hoc Caroli V. judicium adduci in exemplum nequit, extra comitia exercitum ab armato. Multà ſuſcipiuntur quæ defendi non poſſunt, & ut dicam quod ſentio, mihi Electoris vel Principis damnatio à Cæſare profecta, non magis juſta videtur, quam Cæſaris exautoratio ab Electoribus decreta; quare tametſi temporum ratio effecerit ut tranſlationes Electoratuum apud Saxones ac Bavariæ

Duces

Duces de linea in lineam, Cæſaris autoritate factæ obtinerent atque approbarentur, factum tamen ipſum ab initio à nemine probatum eſſe conſtat, ſi illos demas quorum intererat. At vero, inquies, Comitiorum ſaltem cognitio eſt, ſi non de capite Principis certè de Ditione ac Feudo: eſto ſane, nam poſtea oſtendam nihil ea re decedere de Suprematu atque libertate. At verò nemo ignorat, quàm difficulter aliquid in Comitiis decernatur, quàm tardè vim atque effectum obtineat quod decretum eſt. Et cum omnia ex legum præſcripto acta ſunt, demum exercitu opus eſt, ad reum ſed armatum, ditione dejiciendum. Quicunque autem non niſi bello illato, maximiſque motibus in ordinem redigi poteſt, is *liber* cenſetur ac *Suprematu* præditus, ut ſupra definivi. Nam nihil contra omnem vim perſtat in rebus humanis; illi demum liberi atque inviolabiles cenſendi ſunt, quos cogere difficillimum eſt. Principes Imperii validas ſatis copias educunt, clientes, propinquos, amicos, fœderatos habent, ipſis Regibus arctiſſimis vinculis colligantur, ideò qui eos cogere velit, illi anceps alea ſubeunda eſt. Subditi autem meri illi ſunt, ut ſupra explicui, qui in poteſtate habentur, nec magno motu ad imperata cogi poſſunt. Adde quod Pace Monaſterienſi ne in Comitiorum quidem arbitrio abſolute eſſe videtur in Principem injuſtè animadvertere, quando Coronæ pacis ſponſores oppreſſis opem ferre poſſunt, ac proinde quandam cauſæ cognitionem habent. Cumque totius Europæ interſit Weſtphalicam pacem non convelli, manifeſtum eſſe videtur, Principes Imperii hodie cum de maximis rebus, ſcilicet de Religione, libertate, ac ſalute agitur, Europam univerſam quodammodo judicem cauſæ habere, id eſt Suprematu frui. Sic enim re vera *Suprematus* competit, qui non niſi communi gentium conſenſui ſubjicitur, cui ſanè omnis humana poteſtas ſubeſt. Huc pertinet, quod aliquoties innui, non omnia in Comitiis per majorem numerum ſuffragiorum tranſigi, aliquando unanimi conſenſu opus eſſe, qualia ea ſunt, quæ religionem libertatemque ſpectant: itaque in his fatendum eſt Principes ſui juris eſſe, quoniam inviti damnari

Digitized by Google

mnari non poſſunt, quando paucorum diſſenſus decreto intercedit; quamvis hoſtes judicari poſſe non negem. Itaque proſcribere Principem eſt potius hoſtem judicare (quod etiam in liberos planè Principes licet) quàm velut ſubditum condemnare; cum ſubditum cenſeamus, in quem damnatum aliquot Miniſtros publicos armari ſatis eſt, hoſtem in quem exercitus duci debet.

CAP. XXX.

Obligationes quantæcunque non obſtant Suprematui; Modò is qui eum obtinet jus habeat per ſe retinendi ſuos in poteſtate, militari manu. De cætero nil refert an Vaſallus imò an alteri ſubjectus ſit, modò alteri illi jus non ſit eum actu ipſo redigendi in poteſtatem. Exemplum Amphictyonum in Græcia, Califæ, Arabum, Pontificis Romani inter Chriſtianos maximam poteſtatem habentium, ſed quæ autoritate juris potius quàm vi præſente nitebatur.

EX his intelligi poteſt hoc Subjectionis genus, quo Electores atque Principes Imperio tenentur, non pugnare cum Suprematu. Conſtat enim ſibi Suprematus, ſi is quem eo frui dicimus, ratione dignitatis in quandam cum Regibus ſocietatem veniat; ratione juris autem territorialis, exercitum habere, nec niſi bello coërceri poſſit. De reliquo nihil refert utcumque alteri obligatus ſit ad *fidelitatem* imò etiam ad *obedientiam* quantamcunque, *quam ſanè Cæſaris atque Imperio Principes noſtri maximam debent:* neque ad rem pertinet, quod ſubditi ipſorum etiam Imperio ſubſunt; quod ab ipſis ad Suprema Imperii judicia provocari poteſt, quod ipſi Principes civiliter conveniri poſſunt; quod juramentum fidelitatis imò & obedientiæ Cæſari atque Imperio dixêre; quod à Judicio Cæſaris aulico atque Camera Imperii ipſis juberi aut vetari aliquid poteſt; quòd in tardantes mandata pœnalia atque arctiora ſtringuntur, quod noviſſimè in contumaces Banni fulmen vibratur & Circuli (ſecundum executionis ordinem) arman-

armantur. Talia enim quem definivi *Suprematum* non convellunt. Nam ſi Feudi fidelitas & conditio ex Grotii ſententia lib. 1. cap. 3. ne quidem ſummæ poteſtati obeſt; etiam obedientiæ obligatio Suprematum non tollet, quem definivi. Nam Principes non ideò minùs ſoli Deo ac gladio ſubſunt. *Deo*, quatenus conſcientia eos magis quam vis ac metus præſens ad ea officia obſtringit, quæ Imperio debent; *gladio*, quatenus non niſi armis ad imperata cogi poſſunt, quod cum ſubditi natura pugnat: quanquam enim rebelles aliquando fieri poſſunt ſubditi, in quos arma ſumi neceſſe ſit; hoc tamen aliquando præterque ordinem contingit. At qui ea perpetua conditione, eoque jure fruuntur, ut armorum jus ipſi habeant, nec niſi exercitu cogi poſſint, tales merè ſubditos cenſeri ineptum eſt, qualeſcunque denique ſint obligationes, quibus aliis obſtringuntur. Sanè etiam Amphictyones apud Delphos in Græcia judices erant inter liberas civitates atque reſpublicas conſtituti, & condemnati ſunt ab illis Lacedæmonii quod Cadmæam arcem Thebanorum occupaſſent, & Phocenſes eodem Amphictyonum judicio hoſtes judicati totaque in ipſos Græcia armata eſt: neque vero ea res libertatem atque ut ita dicam Suprematum Lacedæmoniorum aut Phocenſium diminuit, quoniam ad decreta Amphictyonum exequenda opus erat exercitu; unde ortum eſt illud bellum ſacrum in Græca Hiſtoria celebre, quo in Phocenſes velut proſcriptos atque hoſtes judicatos Philippo Macedone duce conſtituto, arma expediebantur. Eaque ratione ſibi Philippus gradum ſtruxit ad quandam in Græcia poteſtatem obtinendam, penè illi ſimilem quam nunc habet Imperator in Germania, nam & Dux Græcorum contra Barbaros conſtitutus eſt, magno liberarum Græciæ civitatum conſenſu, quamvis quod Philippus meditabatur Alexander Magnus eodem planè titulo executus ſit, Imperatorem ſe Græcorum, non dominum ferens. Eadem ratione & Romani liberis Græciæ Civitatibus, Achæis, Rhodiis tum & Regibus Pergami, Bithyniæ, Numidiæ imperitabant. Sed Alexander M. & Romani ob præſentem potentiam à Dominis parum

rium aberant. Magis quadrat, ut ad propiora veniam, exemplum Califæ Saracenorum Mahumetis ſucceſſoris qui in Arabia ſedem habebat, cui omnes totius orbis Reges Saraceni in Perſia, Ægypto, Mauritania, Hiſpania obedientiam cultumque debebant, neque ideo magis ſubditi meri erant. Et non diu eſt quod Pontifex Romanus eodem apud Chriſtianos Europæos jure utebatur, ut judex pene eſſet Regum utque ad ipſum provocari poſſet, neque ideo minùs Reges liberi ac Suprematu præditi cenſebantur.

CAP. XXXI.

De Poteſtate Eccleſiæ univerſalis, ejuſque Primatu in omnes Chriſtianos, populorum quondam voluntate agnita & bono publico congruente. Exempla excommunicatorum Regum, & populorum interdictorum, Eccleſiæque feudalium ac tributariorum. Difficile poteſtatem ſacram & profanam ſeparare, quia eadem animarum & boni publici cura. Papæ cognitio de Matrimoniis, item de Juramentis. Juriſdictio in Clerum. Reges à Papa ad Concilium provocant.

QUoniam verò in hunc locum venimus operæ pretium fuerit attingere quod ni fallor hodie non ſatis animadvertitur, Imperatoris atque Pontificis poteſtates quodammodo inter ſe connexas eſſe, & ex communi ſuperiorum temporum ſententia, Pontifici pariter atque Imperatori quandam in reliquos Reges Principeſque poteſtatem competere, quod ideò hoc loco meminiſſe utile eſt, quoniam eo, ſemel admiſſo minus mirabimur, cur tantum Imperatori Germaniæ Principes deferant. Nimirum conſiderandum eſt (ex majorum noſtrorum opinione) totam Eccleſiam univerſalem habendam eſſe pro una quadam velut Republica ſub Pontifice Dei Vicario Spirituali & Imperatore Dei Vicario Temporali: In Aurea Bulla Imperator appellatur temporale Eccleſiæ caput & nihil eſt notius atque frequentius in Actis publicis & Hiſtoriis quoque, quam Imperatoriam pote-

poteſtatem in ſe continere Advocatiam Eccleſiæ Romanæ, id eſt univerſalis: neque illi rei habent cur contradicant Proteſtantes. Nam Advocatus Eccleſiæ non niſi ad honeſta juſtaque protectionem debet, neque ideo prohibetur abuſibus mederi qui forte irrepſere. Imò contra ad ipſius quoque munus pertinet dare operam, quantum in ipſo eſt, ne quid vera Eccleſia Catholica detrimenti capiat, quare qui tantum decus Imperatori auferre conantur, illi quod in Imperatoria poteſtate potiſſimum eſt, deſtruunt. Errant itaque Doctiſſimi Viri qui Imperatoris Romani poteſtátem in jure quod Imperatori competit in urbem Romam & exiguas quaſdam ei connexas ditiones, ſitam putant. Nam contra Jus Imperatoris temporale eo uſque extenditur quouſque jus Epiſcopi Romani ſpirituale, id eſt, per totam Eccleſiam, in qua Primatum aliquem non ordinis tantum ſed & quodammodò juriſdictionis Pontifici Romano etiam veteres non negant; nec refert hoc loco divino an humano jure habeat, modo conſtet per multa ſecula, magno omnium conſenſu atque applauſu in occidente poteſtatem ſanè maximam exercuiſſe. Et multorum egregiorum Virorum ea fuit etiam apud Proteſtantes ſententia, hoc Jus Pontifici relinqui poſſe, & Eccleſiæ utile eſſe, ſi abuſus quidam tollantur. Quinimò Philippus Melanchthon vir ſine controverſia & prudentiſſimus & moderatiſſimus, cum articulis Schmalcaldicis ſubſcriberet, proteſtationem adjicere auſus eſt, qua declarabat ſibi videri juriſdictionem Spiritualem Epiſcopis reddi poſſe ſi aliis malis mederi velint. Eadem fuit ſententia egregii Viri Georgii Calixti qui doctrina atque judicio paucos pares habuit. Equidem negari non poteſt, Eccleſiam Romanam diu habitam in Occidente Magiſtram cæterarum, quod vel ideo minus mirum eſt, quia earum mater paſſim extitit: conſtat enim viros Apoſtolicos Roma in Hiberniam, Angliam, Gallias, Germaniam, miſſos fidem propagaſſe & cum ea reverentiam erga Romanam Eccleſiam. Huic Longobardus & Saxo, huic Francus ſive Sicamber (ut S. Remigius dicebat) colla ſummiſit: & Epiſcopi atque Monachi juriſ-

juriſdictioni Pontificis Romani libenter aſſenſere, quo Regum atque Principum, qui aliquid adhuc de priore barbarie retinebant, jugo exempti, ac ſacri & inviolabiles barbaris crederentur. Itaque cum Barbari ab his acciperent fidem, quorum intererat ſic doceri, mirum non eſt poteſtatem Eccleſiæ Romanæ agnitam & Pontificem Romanum pro Oecumenico Epiſcopo habitum. Tandem ob rerum ſacrarum & profanarum connexionem maximam, factum eſt, ut quædam in Reges ipſos autoritas Pontifici Romano conceſſa videretur, quæ quanta jam tum primis temporibus fuerit, inde æſtimari poteſt quod Zacharias Pontifex ab Ordinibus Regni Galliæ conſultus, Childericum Regem ſceptro indignum pronunciavit, eique maximo omnium applauſu Pipinum ſuccedere juſſit. Et jam ante cum Clotarius Rex Walterum Ivetotium ante aras die ſacratiſſimo veniam à Rege precantem impotenti iracundia interemiſſet, Rex à Pontifice Romano Agapeto excommunicatus neque ante Eccleſiæ reconciliatus eſt, quàm ubi poſteros defuncti omni nexu abſolvit quem Regno Galliæ debebant: ſimilem fere ob cauſam Regnum Angliæ factum eſt tributarium (imò Feudum Pontificis Romani) cum Johannes Rex Angliæ Arturum Britanniæ Minoris Ducem occidi curaſſet, auctuſque eſt poſtea cenſus ob cædem Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi juſſu Regis aut certe permiſſione factam. Et Poloniæ Principes Regium Titulum juſſu Pontificis omittere coacti ſunt, ut cædes Staniſlai Gneſnenſis Archiepiſcopi, Regis juſſu admiſſa, vindicaretur: nec niſi multo poſt tempore reddente Joh. XXII. dignitatem recuperavere. Ait Bodinus viſam à ſe formulam qua Ladiſlaus I. Hungariæ Rex ſe Benedicti XII. vaſallum ſive fiduciarium profeſſus eſt: Ladiſlaus II. etiam tributarium ſe conſtituit, quod ob neſcio quod crimen ſacris illi interdictum eſſet. Etiam Petrus Aragonum Rex fidem Innocentio III. dedit Regni nomine cum annuo cenſu: de Regno Neapolitano & Siculo dubitatio nulla eſt. Quin & Sardinia & Canariæ atque Heſperides Inſulæ Feudum Pontificis fuiſſe videntur, & Re-

Digitized by Google

ges Caſtellæ atque Luſitaniæ ſibi Indiam, ille Occidentalem hic Orientalem velut donum ſive potius Feudum ab Alexandro VI. Romano Papa datum vindicavere. Non illud jam quæro, quo iſta jure facta ſint ſed quæ fuerit illis temporibus hominum opinio. Prædictiones Scripturæ Sacræ de Regno Chriſti huc applicabantur, ſcilicet Dominaturum eſſe de mari uſque ad mare, & gentes ſceptro ferreo gubernaturum. Et notabile eſt, cum Fridericus I. Imperator ſupplex Pontifici Alexandro III. atque humi proſtratus eſſet, & Pontifex pedem collo ejus imponens verbis Scripturæ uteretur (ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis,) Cæſarem reſpondiſſe: non tibi, ſed Petro, quaſi perſuaſus eſſet, ſaltem Petro, id eſt Eccleſiæ univerſali, datam in ſe poteſtatem, qua tamen Pontifex abuteretur. Scio multos doctos viros hiſtoriam in dubium vocare, quos inter Georgius Remus ſi bene memini peculiarem ea de re libellum edidit, inque ea ſententia fuiſſe ipſum Pontificem maximum Urbanum VIII. qui picturam ejus tolli curavit; illud tamen certum eſt, diu olim creditam fuiſſe, quod mihi ſatis eſt. Certe conſtat Henricum IV. Imperatorem nudipedem atque jejunum juſſu Pontificis media hyeme pœnitentiam egiſſe, omneſque Imperatores atque Reges à multis ſeculis Pontificem præſentem præſentes maxima ſummiſſione coluiſſe, aliquando tenuiſſe ſtapedem, pedites equitem comitatos, aliaque ſervitia & miniſteria non dedignatos. Dux aliquis Venetus ut urbem interdicto levaret, & in Pontificis Julii II gratiam reciperetur, laqueum collo geſtavit, & quadrupedis ritu Pontifici arrepens veniam petivit, unde ab ipſis Venetis canis cognomen tulit. Navarram Hiſpani Pontificis autoritati debent, eodem titulo. Philippus II. Angliam à Sixto V. donatam invadebat. Pontifex ſubditorum querelas audiit. Innocentius III. Toloſatium Comiti ne ſuos tributis gravibus vexaret interdixit. Innocentius IV. Johanni Luſitaniæ Regi curatorem dedit. Urbanus V. Henricum Spurium Caſtellæ Regem natalibus reſtituit, qui poſtea Gallorum ope fratrem Petrum legitimum hæredem regno vitâque privavit.

Digitized by Google

vit. Et vero duo ſunt magni momenti de quibus ad Pontificem Romanum referri debere, ne dubitatum eſt quidem olim, nempe quæ pertinent ad juramentum, & quæ ſpectant ad matrimonia. Certè Henricus IV. matrimonium ſuum cum Margarita Valeſia invalidum pronuntiari à Pontifice petiit & obtinuit, idemque paucis abhinc annis obtinuit Regina Luſitaniæ à Cardinali Vindocinenſi cognato ſuo Legato à latere. An autem ad Pontificem pertineat deponere Reges, abſolvere ſubditos à Sacramento, ſæpe dubitatum eſt, & Bellarmini argumenta ex hypotheſi ſpiritualis juriſdictionis temporalem ſaltem indirecte, ut vocant, inferentis, ne Hobbio quidem ſpernenda videntur; illud enim certum eſt qui circa ſalutem animarum procurandam plenam à Deo poteſtatem habet, tyrannidem ambitionemque Procerum coërcere poſſe quibus tot animæ pereunt: dubitari, fateor, poteſt, an Pontifici ea poteſtas à Deo conceſſa ſit; illud tamen negari non poteſt, ſaltem ab illis qui Romanas ſententias ſequuntur, hanc poteſtatem in Eccleſia univerſali reſidere, cui omnium conſcientiæ ſummittuntur. Idque videtur agnoviſſe Philippus Pulcher Galliæ Rex cum à Bonifacii VIII. ſententia quà excommunicabatur atque regno privabatur, ad Concilium univerſale provocavit: quod alias ſæpe in Regibus Imperatoribuſque factum conſtat; & Veneti ſub initium hujus ſeculi idem animo agitabant.

Cap XXXII.

Pontifex eſt ut Primas; at Imperator, ut Archi-Mareſchallus, Enſifer, brachium ſeculare, Advocatus Eccleſiæ univerſalis, Dux contra infideles. Durante ſchiſmate Eccleſiæ conſulit & Concilia moderatur. A Regibus diſcretus jure menſæ in Cæremoniali Romano. Quidam Reges ab eo primum Regiam dignitatem accepere. Actus quidam juriſdictionales ab eo erga exteros exerciti, jus olim Imperii in Venetos. Nuper & in Helvetios, imò Batavos: in patrimonium D. Petri. Sacræ Majeſtatis nomen Cæſari proprium, ut Gallo Chriſtianiſſimæ.

ITaque Eccleſia univerſalis pro una Republica habenda eſt, in qua omnia ad ſalutem animarum & generale bonum dirigi debent, cujus velut *Primas* eſt Romanus Epiſcopus, *Archi-Mareſchallus* verò ſive Enſifer Imperator; quemadmodum in Polonia durante interregno apud duos eſt ſumma rerum, Primatem Regni Archi-Epiſcopum Gneſnenſem, & Regni Mareſchallum; Et apud nos in Comitiis Electoralibus cum de Imperatore novo tractatur, interea Moguntinus & Saxo cuncta moderantur, iſte togatus, hic armatus. Imperator, ut ſupra dixi, Advocatus eſt Eccleſiæ vel potius Brachium ſeculare, ut vocant, & *Dux generalis Chriſtianorum natus (General né de l'Egliſe univerſelle.)* Hinc cum in infideles arma expediebantur, Imperatorque ipſe cruce ſignatis aderat, omnes alii Reges Principeſque ei faſces ſummittebant. Nempe ad Imperatorem ſpectat claſſicum canere bellis ſacris, ducem ſe præbere Chriſtianis contra infideles, & alioqui generalis boni curam gerere cum autoritate. Itaque cum ſchiſmata Eccleſiam dilacerant aut alioqui temporum ratio fortia remedia poſtulabit, Imperator Sigiſmundi exemplo Concilium univerſale convocabit, & contumaces duplici fulmine percellet, *Excommunicationis* ſcilicet Eccleſiaſticæ, & *Imperialis Banni.* Neque dubium proinde eſt, quin Impe-

Digitized by Google

Imperatori velut Eccleſio univerſalis Advocato, aut ſi ita malumus *Vice-Domino*, (nam hoc modo paſſim appellari ſolent qui Principum Germaniæ Eccleſiaſticorum Juriſdictionem ſecularem exercent) magna in cæteros omnes Reges Principeſque autoritas competat, cujus veſtigia ſuperſunt in illo cultu, quem ſine controverſia illi deferunt omnes. Neque enim ipſa hactenus Hiſpania Galliaque, utcunque potentes de dignitate litem movere auſæ ſunt; & ſi Chriſtophoro Marcello Archi-Epiſcopo Corcyrano qui cæremonias ſacras edidit, credimus, Imperator menſam ſeparatam prope Pontificem habet, reliqui Reges mixtim ſedent. Nemo unquam in orbe Chriſtiano ſibi jus ſumſit creandi Reges præter Pontificem & Imperatorem: de Pontifice diximus; à Cæſare Bohemiæ, Daniæ, Poloniæ Principes Regia inſignia nacti feruntur. Ladiſlaus Bohemus à Friderico I. Rex creatus, eaque dignitas poſtea Primiſlao à Philippo Imperatore confirmata, de quo videri poteſt Goldaſtus in libro de Regno Bohemiæ. Ottho III. Poloniæ ducem Boleſlaum Regem appellavit, ipſo fatente Cromero Polonorum Hiſtorico; de Daniæ Regibus idem narrant ex Otthone Friſingenſi lib. 2. c. 21. Fridericus II. Auſtriæ Ducatum aliquando Regnum appellavit, & Maximilianus II. Papæ Medicæum Hetruriæ Regem appellaturo fortiter reſtitit, hoc ſibi uni jus eſſe dictans; itaque Magni Ducis titulum etiam à Cæſare impetraſſe illi ſatis fuit. Quemadmodum Sabaudiæ Comes à Sigiſmundo Dux creatus eſt. Alia etiam ab Imperatoribus facta & ab aliis Regibus agnita ſunt; ex quibus intelligi poteſt aliquam Cæſari in toto Chriſtiano orbe Juriſdictionem eſſe. Dubravius Bohemorum Hiſtoricus narrat Ludovicum Regem Hungariæ & Bohemiæ cum defuncto Patre Uladiſlao annos natus tredecim, regna adiret, veniam ætatis à Maximiliano I. impetraſſe. Et Heringius Juriſconſultus in lib. de *Fidejuſſoribus* capite ſecundo refert, Chriſtianum IV. Regem Daniæ anno 17. nondum impleto, ob Regias virtutes jam tum elucentes à Rudolpho II. ætatis beneficium conſecutum anno 1593. die Apri-

lis 26. Carolus Lotharingiæ Cardinalis poſtulatus Epiſcopus Metenſis eodem beneficio Cæſaris uſus eſt, ſi Betſio credimus Tractatu de *Pactis Famil. Illuſt.* Cap. 7. ſed & Philippus Dux Burgundiæ, & Diploma extat apud Chifletium in Vindiciis Hiſpanicis Cap. 13. Scimus & Ludovicum Bavarum Vicarium Imperii conſtituiſſe Eduardum III. Angliæ Regem, ut Imperii jus contra Gallos perſequeretur, & ipſum Delphinum Franciæ, poſtea Carolum VI. à Cæſare Carolo IV. declaratum Sacri Imperii Vicarium in Regno Arelatenſi, quanquam hoc regnum jam tum Galli tenerent, & cum nondum ex ephebis exceſſiſſet, adjectum eſſe ætatis beneficium ipſi Galli narrant. Et Hiſpanus ſe fert Vicarium Imperii per Inſubriam & Hetruriam, ut ait Bodinus quem & hoc ſeculo occaſione belli Mantuani, autoritate Ferdinandi II. exercere velle videbatur magno Italorum Principum metu, qui non ignorant quantum Imperio debeant. In Genuenſes exercita ab Imperatore Rudolpho II. juriſdictio eſt, cum à Marchione Finalienſi actione pulſati eſſent. Veneti à Rudolpho I. vel ut alii volunt, à Conrado, jus monetæ cudendæ accepere, iidem Imperii Majeſtatem agnovere ſaltem pro parte ditionum cum à Maximiliano I. in anguſtias redacti eſſent, & Albericus de Roſate in *l. cunctos populos. C. de Summa Trinitate*, dicit ſe vidiſſe privilegium Exemtionis Venetorum Bulla aurea bullatum; ſed ex hoc ipſo ſatis intelligi poteſt, privilegia ſaltem magna obtinuiſſe, ut alias Italiæ Civitates, non vero plenam libertatem, quam ne dare quidem poterat Imperator. Expreſſus eſt Sigonii locus lib. 13. qui pacis inter Imperatorem Fridericum Barbaroſſam & Italiæ Civitates formulam exhibens, Venetias inter cæteras collocat nullo diſcrimine Imperatorem Dominum agnoſcentes, Vaſallos ſeſe appellantes & Romam tendenti Coronæ accipiendæ cauſa Fodrum ac cætera promittentes. Sigiſmundus Imperator Franciæ Regem ad Concilium Conſtantienſe vocans *Imperii fidelem* appellat apud Goldaſt. tom. unico Conſtit. Imp. quod credo Delphinatus cauſa factum. Daniæ Rex Woldemarus, Biſantium ad Comitia 1162. vocatus

catus comparuit. Siciliæ & Apuliæ Rex, velut Imperio ſubditus Piſis in Comitiis proſcriptus anno 1311. teſtante utrumque Goldaſto qui & formulam Proſcriptionis exhibet. Helvetii à Ludovico Bavaro, à Carolo V. aliiſque Imperatoribus confirmationem Privilegiorum petiére, & ſæpe literis profeſſi ſunt, minimè ſe ab Imperii corpore avulſos (tametſi propria judicia atque conventus habeant) & in omnibus ſuis fœderibus ſemper Pontificem Romanum atque Imperatorem excepere, & nunc quoque ſuos contra Imperium militare nolunt. Unde ſatis miror plus illis Weſtphalica pace ſine ulla neceſſitate datum, quam forte exigebant, cùm illis à Cameræ juriſdictione eximi ſatis eſſet, ſalva Imperii Majeſtate. Quanquam adhuc dubitari poſſit quantum ab illis poſtulatum, aut illis datum ſit. Batavæ urbes Inſignia Imperii in nummis retinent, & videntur ſervare venerationem erga Cæſarem privilegiorum ſuorum autorem, non ſine aliqua ſpe regreſſus ad Imperii corpus, cujus protectio neque gravis ipſis eſſe poteſt, & plurimum profitura eſt tum ad ſecuritatem tum ad commerciorum emolumentum. Neque indecorum ſibi putare debent, quod fecere potentiſſimi Burgundiæ Duces dignatione Regibus proximi, non fœderati tantum ſed & omnis Belgii aliarumque Provinciarum Domini qui ſeſe in Imperii Clientelam ſponte dederunt. Denique ſi, ut ipſi Bodino videtur, Imperatori jus ſummum temporale competit in urbem Romam & quidquid patrimonium Divi Petri appellatur, quod pluribus adſtruitur à Conringio in libro de *Finibus*, & alibi paſſim, & in primis agnoſcitur ab Antonio de Roſellis, qui in libro de *Monarchia* ſcripſit Pontificem in urbe Roma & aliis Status Eccleſiaſtici ditionibus tantum utile dominium habere, directum penes Cæſares eſſe, vel, ut Bodinus ait, Pontifices Cæſarum Vaſallos eſſe. Hæc, inquam, ſi vera ſunt, conſequens eſt, Imperatorem nondum omiſiſſe caput rerum Romam, unde in omnia regimen, qua Catholicus orbis patet. Ex his aliiſque conſtat Sacri Imperii Romani Pontificem Romanum ſpirituale, Cæſarem ſeculare, ut loquuntur, caput haberi; Cæſaris autoritate Eccleſiæ decreta ar-
 mari,

mari, atque hinc in primis non Canoniſtas tantum ſed & alios Juriſconſultos etiam Italos cenſuiſſe qui Imperatoris Romani poteſtatem in toto orbe Chriſtiano in dubium vocet, eſſe hæreticum, quæ eſt ſententia Bartoli in l. *hoſtes*. D. de *Captiv. & poſtlim.* & peccare mortaliter, ut ait Hoſtienſis in c. *Venerabilem. de Elect.* Et Reges alios omnes comiter agnoſcere debere Imperii Majeſtatem ne Francorum quidem Rege excepto, auſus eſt in ipſa Gallia ſcribere Alciatus, indignante licet Bodino. Petrarcha quoque ad Carolum IV. [quænam iſta ſuperbia Pontificem Romanum publicæ libertatis autorem libertate (Romam pro lubitu adeundi) privare, ut cujus eſſe debent omnia, ipſe non ſit ſuus.] Certè, ſi ipſo fatente Bodino Pontifices Romani cum Germanis Imperatoribus diutiſſime de Chriſtiani orbis ſummo Imperio ac poteſtate dimicaverunt; & quaſi Duces Partium omnes Chriſtianos Principes ac Civitates ad arma vocarunt, conſequens eſt ipſos inter ſe conſentientes hanc ſummam in orbe Chriſtiano autoritatem ſine controverſia fuiſſe habituros. Denique hinc *Sacri* Imperii nomen & Sacræ Majeſtatis appellatio non niſi Cæſari ſolita accommodari etiam ab ipſis quondam ſcriptoribus Gallis, quicquid etiam hodierni quadam Imperatoris imitatione affectent, ita ut *Sacræ Majeſtatis* appellatio tam ſit propria Imperatoris, quam *Chriſtianiſſima* Galli & *Catholica* Hiſpani Regis. Nimirum Chriſti Eccleſia Univerſalis, Regnum aliquod Chriſti eſt, cui converſi ad fidem Reges, non conſcientiam tantùm, ſed & quodammodo in majus poteſtatis autoramentum, ſceptra ſummiſere; quod ipſos potuiſſe negari non poteſt feciſſe, & quotidie cùm coronantur, ſolennibus verbis facere in confeſſo eſt. Hinc Reges Franciæ in ſuis nummis aureis (*écus d'or*) hac Epigraphe utuntur: *Chriſtus regnat, vincit, imperat*; & olim annorum Regni Chriſti velut Epocha utebantur. Extat libellus ſingularis Davidis Blondelli de formula *regnante Chriſto*. In hoc autem Chriſti Regno ſub ipſo Chriſto capite ac Domino, duo ſummi Magiſtratus, Pontifex atque Imperator, vicariam autoritatem, ille in ſpiritua-

ritualibus, hic in ſecularibus, exercere credebantur. Idque boni publici intereſſe viſum ut communi autoritate Chriſtiani connecterentur & tum inter ſe pacem colerent, tum hoſtibus fidei formidabiliores eſſent. Quod ſi nec de Petri Vicariatu, nec de quarta Monarchia traditio divini juris eſt, ſaltem utiliter introductam ac creditam plerique judicavere. Cumque hoc inprimis fundamento niti in Chriſtiano orbe ſacra Imperatoris Romani Majeſtas videatur, conſequens eſt non oppugnari à noſtris Principibus, ſed defendi debere, ut appareat non ipſos ſolos, ſed & alios omnes Reges Principeſque Chriſtianos quodam pietatis atque officii vinculo Eccleſiæ Chriſti atque Imperio Romano ſubmitti, alios autem Principes nonnullos à noſtris non tam jure quam in multis uſurpatione libertatis diſtingui: mirum autem non eſſe, quòd noſtra natio reverentiæ Imperatori debitæ retinentior fuit, poſtquam Imperii dignitatem ad ſe traduxit.

CAP. XXXIII.

Si obligationes nocerent Suprematui, *Reges & Principes Eccleſiæ ejuſque Advocato Imperatori, imò ſuo populo vi juramentorum ſubjecti forent: ſed non obſtantibus obligationibus quibuſcunque, Suprematum habet qui non niſi bello illato cogi poteſt, cui omnis humana poteſtas obnoxia eſt. Concludo itaque Electores & Principes Germaniæ jure Suprematus, & quod ei connectitur, Legationis frui.*

ATque ita tandem Suprematum Principum in clara luce mihi collocaſſe videor, quandoquidem oſtendi, quæcunque *obligationes* ex officio, conſcientia, juramento, homagio, pactis, fœderibus, ullo denique jure factove deſcendunt, eas *Suprematui* non obeſſe; modò illud fixum maneat, eum *Suprematu* præditum eſſe, qui perſonæ ratione inviolabilis cenſetur; ditionum autem reſpectu, armorum poteſtatem habet; adeoque in magnorum Principum Conſeſſu, atque generali congreſſu ſummarum Europæ Chri-

Digitized by Google

ſtianæ poteſtatum, ſibi locum vindicat; nec niſi bello illato ad officium cogi poteſt. Obligationum autem hic ratio non habetur quibus Princeps, Deo, Eccleſiæ, Imperio, populo, fœderatis atque vicinis obſtrictus eſt; alioqui quemadmodum Principes noſtri Sacro Imperio, ita Reges omnes Eccleſiæ Univerſali ejuſque Advocato Imperatori Romano ſubjecti forent, quoniam juramento eorum, quod præſtant cum inaugurantur, & fides ac religio quam plerique profitentur, & conſcientiæ ratio eos Eccleſiæ devincit. Populo quoque aut Ordinibus pleroſque obnoxios conſtat, juramenti religione, & facta homagium præſtantibus ſubditis repromiſſione, de juſtitia adminiſtranda, de vera religione tuenda, de privilegiis conſervandis. Addita nonnunquam commiſſoria lege, ut ſi ſecus faciant, autoritate excidere intelligantur. Nec tamen ideò minus liberi Principes cenſentur, modò in ipſorum manu coërcendi poteſtatem, atque arma eſſe conſtet, ut niſi bello illato cogi non poſſint. Cum enim non niſi extrema neceſſitas bellum excuſet, patet Principes armorum (jure ſuo) potentes, Suprematu nonniſi in extrema neceſſitate, (quæ omnia excuſat) & belli jure (quod omnia jura transfert) exui poſſe. Interea verò maxima libertate frui, ac rerum ſuarum ſatagere; in officio autem, erga Eccleſiam, Imperium, Dominum Feudi, populum, vicinoſque, pudore magis atque honeſtate, tum vero maximè utilitatis ſuæ ratione; ut ſolet fieri inter liberos, quam neceſſitate imminentis Domini, contineri. Hinc facile intelligitur eos qui non niſi bello illato cogi poſſunt, aut qui viciſſim alios armis poſſunt cogere vel certè gravibus incommodis afficere, *pleno jure gentium frui*, quod in Legatis, Bello, Pace, Fœderibus conſiſtit. Hujus gentium juris ſumma ratio eſt, ut bella evitentur, nam quia anceps belli alea eſt, hinc receptum eſt inter gentes, ut juſtum quodammodo videatur bellum, ſaltem quoad formam juris fecialis, & privilegia juris gentium habeat, quodcunque ab illo geritur, qui confeſſam habet armorum poteſtatem. Nimirum quæ belli jure acquirit, ipſius cenſentur; quæ pace inita ipſi ceduntur, non niſi per injuriam

riam tractari poſſunt: tranſitus innoxius copiis ejus negari nequit, fœdera cum ipſo ineuntur, arbitrio ejus controverſiæ ſummittuntur, interventus ejus, ſive ut hodie vocant Mediatio, admittitur: Pacem tractantibus aut fœdus ferientibus, cavet, ſive ut hodie vocant Garantiam præſtat. Honos denique ipſi Legatiſve ejus habendus eſt, quicunque aliis pari armorum jure utentibus conceditur, *quoniam jus gentium non patitur ut illi per contumeliam ab aliis diſtinguantur qui eandem quam alii habent in manu cauſam; qua ſibi juris gentium privilegia vindicant, ſcilicet armorum poteſtatem.* Quam cum Electoribus Principibuſque Germaniæ & rationibus & confeſſione eorum quorum intereſt, & uſu ipſo vindicaverimus omnibus aliis juris gentium privilegiis, & in his *Legationis* quoque *jure optimo maximo* frui eos manifeſtum eſt.

CAP. XXXIV.

Hactenus Rationibus, *nunc &* Exemplis *jus Suprematus & Legationis noſtris Principibus vindicatur. Non eſt in poteſtate quorundam, ordinarium quendam honorem aliquibus attribuere; aliis verò, qui in pari cauſa ſunt negare. Quod ſine contumelia non fit, quia honor in uſu publico & comparatione conſiſtit.*

HActenus *rationibus* pugnavimus, nunc *exemplis atque poſſeſſoriis actibus* utendum erit ad jus Principum noſtrorum in propatulo collocandum. *Exemplis* ſcilicet alienis, *poſſeſſoriis* verò *actibus* noſtris. Exemplis utemur tum Principum Italiæ, tum Principum Electorum Germaniæ, ubi primum illis obviam ibimus, qui ſibi perſuadent in poteſtate eſſe Regis Galliæ aut alterius cujuſcunque tractatu aliquo aut pacto concedere Principi cuidam honores atque prærogativas, quas alteri pari jure utenti negat. Nam niſi his occurrimus, fruſtranea erit noſtra diſputatio. Verùm inaudita hucuſque hæc opinio fuit: aut ſi admittenda eſt, fruſtra fuere omnes qui hactenus de rebus cæremonialibus,

Digitized by Google

Principumque ac Legatorum honoribus ratiocinati exemplisve uſi ſunt; poterat enim illis reſponderi uno verbo: in poteſtate cujuſque Regis aut Principis eſſe, quantum cuique honoris exhibere velit, neque proinde rationes aut exempla ſed expreſſa tantum pacta in hoc negotio valere. Quod ſanè rationi & gentium juri recepto adverſatur. Nam honor atque dignitas conſiſtit in comparatione, ideoque cum inter pares diſtinctio quædam perpetua atque ſolennis introducitur, contumelia illi habetur qui neglectus eſt. Equidem non diffiteor aliquando ob certas cauſas amico cuidam Regi ejuſve Legato ſingulares haberi honores extra ordinem, qui in exemplum citari non poſſunt; ſed ejus honoris neque cauſa, neque poſſeſſio perpetua eſt, facileque apparet, quantum inter urbanitatis atque uti vulgò vocant civilitatis rationem dignitatiſque tuendæ curam interſit. Itaque Magnus Dux Hetruriæ aliquando Legato Hiſpanico Comiti Tendillæ apud ſe locum potiorem dedit in menſa, quod fieri non ſolet; eoque pertinaciter recuſante Dux urbanè admodum aliquem ex familiaribus appellavit juſſitque claves ædium afferri Comiti, qui in alieno arbitrum ageret. Nec vero inde alteri cuidam Legato idem poſtulandi jus fuit. At verò quicquid multis ordinario quodam jure conceditur, ita ut ab ipſis etiam exigatur, id aliis ſupervenientibus in eadem dignitate conſtitutis, ſine injuria negari nequit. Nam quæ exiguntur non ſunt amplius meræ facultatis, quæ verò in hoc negotio non ſunt meræ facultatis ea non ſunt amplius civilitatis, ſed & ad dignitatem pertinent. Dignitatis autem ſuæ rationem unuſquiſque Principum habere debet, quam ſanè negligeret, ſi inæqualitatem publicam pateretur. At verò inquies, quid ni poſſim ſingularem amico honorem habere? Potes, inquam, habere extra ordinem; at pacto promittere atque ordinario jure ſoli tribuere non potes, quin aliis æqualibus injuriam facias. At vero ſum actionum mearum Dominus? ita fateor, ſed non ut alteri noceant, quod fieri manifeſtum eſt. Nimirum habenda hic, ſi unquam, juſtitiæ illius ratio eſt quam diſtributivam vocant. At verò inquies,

inquies, juſtitia diſtributiva quæ circa honores & præmia verſatur, obligat ſane diſtribuentem, ut æquitatem obſervet in diſtribuendo, at illis qui neglecti videntur, actionem nullam tribuit. Reſpondeo hoc ita quidem eſſe cum Eleemoſynæ pauperibus erogantur, non verò cum honores Principibus tribuuntur. Certè ut quiſque generoſus eſt, ita dignitatem ſuam aliis omnibus vitæ bonis præfert, quanto magis id Reges ac Principes facient, quos aliquando umbra contumeliæ armavit. Nec verò qui honorem exhibet in magna dignitate conſtituto, rem indebitam pro ſua liberalitate largitur, ſed facit quod officii ſui eſt. Honor autem in opinione atque uſu conſiſtit, ut quod aliis ejuſdem conditionis non exhibetur cæteris omnibus debitum videatur. Quare qui hoc in dubium vocat, ipſam honoris naturam evertit, *neque enim aliter interrogati poterimus definire, quis ſit honor alicui debitus, quam reſpondendo, eum eſſe qui alteri ejuſdem dignitatis habetur, aut ſi exemplum deeſt, qui proportione aliorum, quos ille dignitate anteit aut ſequitur, ratiocinando conſtituitur.* Qui ſecus diſſerit omnem ex rebus humanis honoris atque dignitatis æſtimationem tollit. Equidem fateor, Barbaros omnem in hoc genere ratiocinationem negligere poſſe, ſed inter Europæos politiores dignitatis cura juris gentium partem facit. Itaque ſi quis Regum diceret ſe quidem in aula ſua certam ordinis prærogativæ atque cæremoniarum erga extraneos Principes Legatoſque legem promulgare velle, quam qui ſequi nolit, eum ditionibus ſuis abſtinere poſſe; is abſoluta quidem poteſtate utitur, ſed illud commercium abrumpit, quod nunc in Europa introductum eſt, & contemtum in illum quem offendit, atque propemodum hoſtilem animum profitetur. Unde ſimultates, & vindictæ cupiditas, ac denique bella, quæ caveri juris gentium eſt. Præterea nos intra alios planè terminos verſamur, quemadmodum optimè animadverſum eſt ab Ordinibus Fœderatis, quorum ſententiam circa jus legationis Principum Germaniæ ſupra exhibui. Neque enim Rex Chriſtianiſſimus conſtituere videtur, à quibus *in ſuo*

regno

regno Legatos admittere, aut quo Legatos illos charactere veſtiri velit, ſed potius aliis in quos ipſi jus nullum eſt præſcribit, quales nam Miniſtros mittere debeant, aut jus mittendi illis quales ab aliis mittuntur negat, idque non in regno ſuo, ſed in loco congreſſuum Pacis, ubi non plus ipſi quam cuicunque alteri poteſtatis competit, & ubi omnes Belli & Pacis facultate, ſive *Suprematu*, fruentes, æquo jure uti par eſt; ne ubi Pacis generalis fundamenta poni debent, nova odiorum ſemina ſpargantur.

Cap. XXXV.

Fateor pactis tacitis aut expreſſis aliquando Principes ſibi mutuò honores indulgere. Electores & Principes Regibus Majeſtatem, ipſi Electoribus Fraternitatem initio negabant, poſtea conceſſere. Et Principes noſtri eodem modo ſibi ipſis jus dicere potuiſſent aut poſſent. Etſi autem honoris cum honore, non tamen cum eo quod intereſt compenſatio honeſta eſt. Nam nec honoratum nec honorantem decet fateri, ſe dignitatis mercatum inſtituiſſe, ac non meritis locum dediſſe, ſed adulari voluiſſe.

ERunt verò qui dicent, pactis olim factum eſſe ut Reges Galliæ Batavorum Legatos velut à libera Republica venientes agnoſcerent; ut Electores fratres appellarent; ut Electorum Legatis eundem quem Venetis honorem haberent. Ita ſanè fateor, ſed hæc pacta non jus dedere, ſed juris debiti declaratoria cenſeri debent. Sæpe autem non ſine aliqua repugnantis ſpecie conceduntur, ut aliqua viciſſim extorqueantur in eodem genere quæſtionum circa honorem ſcilicet atque dignitatem, quæ jure deberi videntur. Ita Electores aliqui cum Sabaudo ita tranſegere ut Sabaudus cederet Electoribus, Electores ipſi Regiæ Celſitudinis appellationem tribuerent, & Galli non ante Electoribus dedere *Fraternitatem* quam ab illis reciperent *Majeſtatem*; & Monaſterii tum demum conceſſere, ut Legati Electorales ac Veneti æquo jure eſſent, cum ab

Digitized by Google

ab Electoribus ſtipulati ſunt, diſcrimen inter Cæſareos Gallicoſque ipſis nullum fore. Quod tunc multis improbatum eſt, nec defuere qui dicerent, Electores prærogativam, quam moliebantur ſupra cæteros Principes, Cæſaris Gallo æquati diſpendio redemiſſe. Sed mihi nihil in ea re præter rationem feciſſe Electores videntur: nam cur Majeſtatem Gallo negarent, quam omnes alii Reges Europæi agnoſcunt, aut cur Legatis Gallicis non idem honoris genus haberent, quod Cæſareis? modò Cæſari prærogativa à nemine in controverſiam vocata ſalva maneret. Nec Gallos vituperare poſſum quod hoc velut cuneo uſi ſunt, ut quod æquum erat extunderent; ſed cum à Principibus Germaniæ nullos honores poſtulare poſſint, quos non dudum obtinuerint, non debent eorum facilitate abuti, ſed viciſſim illis tribuere, quicquid ratio atque exempla æqualium poſtulant; niſi viciſſim Principes noſtros impoſterum à Majeſtatis appellatione aliiſque honoris ſignis ex uſu ſeculi novè invectis ergaRegem abſtinere malint. Si qui ſunt qui Reges pactis honores illis concedere aut negare poſſe putant, quos ad partes ſuas trahere, aut ab hoſtibus abſtrahere volunt: illis hoc loco ne reſpondendum eſt quidem; neque enim honoris cum eo quod intereſt compenſatio honeſta eſt; & inter Chriſtianos, in medio armorum ardore, ſalva cuique belligerantium, dignitatis ratio eſſe debet; ſed & in Congreſſibus pacis cauſa ſuſceptis, odia poni vel certe premi neceſſe eſt: denique non hic de eo quod intereſt, ſed juſtitiæ ratione, neque de facto ſed jure loquimur. Cum autem de jure quæſtio eſt, talia allegari non poſſunt, quæ ipſi Reges Regumque Legati ad rationem actionum ſuarum reddendam ſalva dignitate producere in publicis Conventibus non auderent. Qualis utique foret hæc objectio; indignum enim eſſet Regia Majeſtate, prodigalitate honorum in indignos, compendia ſua redimere; indignum Principibus quibus tributus eſt honor, agnoſcere publicè ſeſe emtam dignitatem, non juri ſuo ſed illaudatis artibus debere. Et verò ab eo animo longe abfuit Chriſtianiſſimi Regis generoſitas, quando utcunque infenſus, non ideò Sereniſſimo Electori

ctori Brandeburgico ullam dignitatis controverſiam movit, quod facturo colores nunquam defuiſſent. Itaque ſperandum eſt, Principibus Germaniæ debitos honores minimè negaturum, quanquam totum Imperium bello implicitum ſit; præſertim cùm ſint inter Principes, de quibus nequeri quidem poteſt.

Cap. XXXVI.

De Dignitate Electorum tractatio nobis profutura. Qua occaſione ipſis Fraternitas *à Regibus data. Stylo Germaniæ* Majeſtatem *non dabat æqualis æquali; ſecus apud exteros. Idem Electoribus qui Venetis honor Monaſterii. Hactenus tamen Legati eorum in Gallia non texere caput coram Rege, aut introitum habuere, ut Veneti. Etiam Sabaudi, licet capitis tectionem, nondum tamen introitum, ut Veneti, habent. At in congreſſibus Legatorum à Venetis Electorales non diſtinguuntur. Jus Electoris mittendi plures uno Legatos æquali Charactere, fruſtra diſputatum.*

Quoniam ergo oſtenſum eſt, uti nos exemplis aliorum poſſe, nunc ſupereſt ut *exempla* ipſa producamus, *Electorum* ſcilicet Germaniæ, ac poſtea *Principum Italiæ*. Incipiemus ab Electoribus quos Italiæ Principibus potiores, & Principibus noſtris propiores eſſe conſtat. Electores jure Suprematus cum omnibus appendicibus, in quibus eſt *jus Legationis plenum*, frui, hodie extra controverſiam eſt. Olim Electores pariter ac cæteri Principes Germaniæ, raró cum exteris tractabant; deinde nondum conſtituta erat velut diſciplina quædam Cæremonialis, quæ Romæ cœpta, Monaſterii ſtabilita, nunc Noviomagi perficienda eſt. Equidem olim Regibus non niſi Regiæ dignitatis appellationem ab Electoribus tributam, conſtat ex literis Electorum ad Guſtavum Adolphum, qui ab initio queſtus, denique recepto uſui acquievit. Nec aliter à Principibus factum infra dicetur. Poſtea cum Monaſterienſis Tractatus multos extraneos Miniſtros

niſtros in Germaniam traxiſſet, atque animadverteretur, ex uſu temporis Majeſtatem etiam dare æquales æqualibus, cum antea recepta Germaniæ phraſi non niſi inferior ſuperiorem *Majeſtatis* appellatione coleret, non dubitavere Electores facere, quod Venetos & Batavos & omnes Italiæ Principes, imo Reges ipſos, ſed & jam Electorum nonnullos, facere videbant. Viciſſim Rex Galliæ fratres appellare Electores ſeculares, aut ex Sereniſſima familia Eccleſiaſticos, non eſt gravatus. Si Autori egregiorum de Legatis Collectaneorum quæ nuper in Batavis prodiere, credimus; primus fuit Brandeburgicus Elector anno 1647. cui Rex Galliæ *Fraternitatis* honorem habuit, idque volente Mazarino, quanquam Comes Briennius Secretarius Status novitati reclamaret. Sed Mazarinus Electorem quavis ratione demereri volebat, ut à conſiliis avocaret, quæ tunc agitabantur, de ineundo Fœdere inter Saxonem, Brandeburgicum, Lunæburgicos, alioſque Germaniæ Principes, quo factionis novæ nec Cæſareis nec Gallis Suecisve addictæ, ſed pacem Imperio redditurae fundamenta jaciebantur; quæ ne totam Gallorum machinam Monaſterii ſtructam, diſturbaret, Cardinalis verebatur. Ab eo tempore cæteris Electoribus idem honor habitus, ubi viciſſim Regibus *Majeſtatem* reddidere. Monaſterii aſſenſere Galli, ut idem Electorum Legatis qui Venetis honos eſſet, ea conditione, ut ne viciſſim Legati Gallici à Cæſareis diſtinguerentur. Venetam porrò Rempublicam etiam Romæ ad Coronæ modum tractari, Legatis Venetis primæ Viſitationis honorem, *Excellentiæ* appellationem concedi, & viſitationem reddentibus potiorem locum dari conſtat. Idem factum eſt Monaſterii erga Legatos Electorum, ne Apoſtolico quidem Nuncio repugnante, quemadmodum refert Victorius Siri. Certum eſt in Batavis & apud Septentrionis Reges Legatos Electorales æquo cum aliis à Rege aut à Republica vel Principe libero miſſis jure uti. Idem apparuit & in Olivenſi Tractatu, ubi Brandeburgici nulla in re à Regiis diſtincti ſunt. Eſt tamen in quo Gallia nondum Electoribus ſatis æquam ſe præbuit. Nam hactenus concedere

Digitized by Google

dere noluit, ut Legati Electorum, charactere veſtiti, coram Rege tegerent ſeſe. Quod tamen faciunt Legati à Sabaudo, ab Hetruriæ, imò à Mantuæ Mutinæve Ducibus miſſi. Itaque haud dubie rectè faciunt Electores ſi ſe tegentes viciſſim non patientur ut Legati Regis apud ipſos ſeſe tegant. Illud minus miror quod Legatis Electorum negata in Gallia receptio ſólennis, Legatis Regiis, Venetis, Batavis, conceſſa; quando nec Sabaudis aliiſque Italiæ Principibus tribuitur. Itaque Marchio de Villa Legatus Sabaudiæ Ducis anno 1660. in Galliam miſſus maluit Lutetiam ingredi diſſimulata perſona, quàm parte tantùm honoris frui, qui aliis integer habetur. Elector Bavariæ Maximilianus Anno hujus ſeculi trigeſimo octavo miſit in Galliam Oratores Groensfeldium & Curtium, titulo Ambaſciatorum, ſed honor introitus illis habitus non eſt, & Regi locuturis negata tegendi ſe facultas, quam Legatus minimi cujuſque Italiæ Principis habet. Itaque coacti ſunt mutare perſonam, noviſque mandatis domi acceptis, jam tantùm Ablegatos agere. Scilicet eo tempore *Richelius* rerum potiebatur immodicus aliorum contemtor, & qui Principibus ſanguinis Regii atque Electoribus Imperii ne apud ſe quidem potiorem locum dabat. Præterea Bavarus pro Gallorum hoſte haberi poterat, cum illius potiſſimum arma in ſuperiore Germania Vinarienſibus Gallico ſtipendio merentibus opponerentur. Ab eo tempore nemo, quod ſciam, Electorum in Galliam Ambaſciatorem miſit, quod ſi aliquando, captata commoda occaſione feciſſent, fortè quod tunc negatum eſt, non ægre à Mazarino, in hoc genere faciliore, obtinuiſſent. Sed miſſis nunc honoribus qui Legatis apud Reges redduntur, illud conſtat cum Legati inter ſe congrediuntur, Electorales ab aliis à Rege, Republica, ac Supremo Principe miſſis non diſtingui. Præſertim ex quo nunc Cæſar, Gallus, Anglus, ſuis injunxere, ut venientibus Brandeburgicis Legatis primæ viſitationis, *Excellentiæ* ac potioris *loci honor* Noviomagi haberetur. Et profeſſi ſunt Galli eundem aliis quoque Electoribus honorem habi-

habitum iri. Quod vero nuper Gallis, cum nihil aliud haberent quod vellicarent, in mentem venit, duos Legatos Brandeburgicos diſtinguere in primarium ac ſecundarium, exemplo Congreſſuum Monaſterienſis & Lubecenſis, id ab hoc loco alienum eſt: noſtro enim inſtituto ſufficit capiti Legationis plenum honorem haberi. Mirari tamen ſubit ſcrupulos ullo rationis colore carentes. Quaſi vero non ſit in poteſtate Principis cujuſque plures mittere Legatos æquali poteſtate. At, inquies, Monaſterii aliter actum eſt, & Lubecæ in Tractatione Pacis Sueco-Polonicæ Canutus Legatus Gallicus non niſi primo plenos honores habere voluit. Quid tum verò, cum mittere quot velis, res ſit meræ facultatis & fere in Germaniæ tantum Conventibus audita in primarios ſecundarioſque diviſio videatur, quem morem Monaſterii ſecuti ſunt. Inde verò jus facere non licet, & vide obſecro quam multa ſatis incommoda hinc conſequantur. Primùm hac diſtinctione admiſſa introducetur novum characteris genus, Ambaſciatorum ſcilicet ſecundariorum quos tamen ab Ablegatis utique mandatum diſtinguit. Deinde Blaſpilium Dominus Legatum pleno jure eſſe jubet, Galli eum quantum in ipſis eſt gradu movent. Præterea fingamus Somnitio avocato Blaſpilium reſtare, nonne jam Blaſpilius caput Legationis erit, ac proinde iiſdem fruetur honoribus qui nunc Somnitio habentur? nec tamen novam poteſtatem dignitatemve à Domino aut Collega accepit, neque enim Collegæ Subdelegatus haberi poteſt. Itaque patet jam tum jus habere, quod exercere aliquando poſſet (ſi Collega diſcederet) nemine de novo dante. Redeat jam Somnitius, novo iterum mandato remiſſus, an rurſus degradabitur Blaſpilius, Domino invito, nullaque muneris parte adempta, ideò tantum quod ab aliis præceditur? Quid ſi jam Mauritius Naſſoviæ Princeps utrique ſuperveniret, futurus ſine controverſia primus, an ideo Somnitium appellatione *Excellentiæ* ſpoliari jus faſque erit? Quæ cum inepta ſint omnia, ſatis patet, difficultatem quoque quæ Brandeburgicis movetur, inanem eſſe, fruſtraque Gallos Electo-

ribus atque Principibus Germaniæ præſcribere velle, quomodo pleno quod habent, Legationis jure, uti debeant. Nobis vero ad inſtitutum ſatis eſt, Legatum Electoralem, Cæſare ac maximis Regibus non repugnantibus, in Tractatibus, pari cum cæteris Legatis omnibus jure eſſe.

Cap. XXXVII.

Honor, quoad jus Legationis inprimis, Electoribus habitus, etiam Principibus noſtris prodeſſe debet ob paritatem rationis, nempe Suprematûs. Objicies: Electores Regibus æquari poſſe, cæteros Ducibus tantum. Nam & Veneti Romæ Regibus comparantur, Electores Venetis non cedunt. Reſpondeo, eſto ita, ſi id Electores obtinere poſſunt, modò illa nobis ſint cum Electoribus communia, quæ Venetis cum aliis Italiæ Ducibus communia ſint.

Quoniam verò circa id quod ſummum eſt, & in hoc negotio ſpectari debet unicè, nempe *Suprematum*, nullum inter Electores atque Sereniſſimos Imperii noſtri Principes diſcrimen intelligi poteſt, hinc jam manifeſtò conſequitur, honorem Electoribus à Cæſare Regibuſque non obſtante vinculo quo Imperio devinciuntur, habitum, etiam noſtris Principibus communicari debere, quando conſtat non illos minùs quam hos Cæſari atque Imperio obnoxios eſſe. Equidem Legati Electoris Saxoniæ Oſnabrugam venientes, Cæſareis primæ Viſitationis honorem exhibuere, quem velut noviſſimè adventantes exſpectare poterant: alii credo Principes non minùs proni ſunt, in ea omnia quæ ad honorem capitis non Germaniæ tantum, ſed & Chriſtiani orbis pertinent: ſed quando nunc Cæſar ipſe indulſit quoddam inter ſuos aliosque Legatos æqualitatis genus, ſalvo mittentium diſcrimine (neque enim ideò minus Brandeburgicus Cæſarem præſens ſolita ſummiſſione coleret) cæteri Principes, niſi ſe deteriores, ac ne liberos quidem fateri velint, excludi non poſſunt. At verò, inquies, quemadmodum

Digitized by Google

modum in ipſa Curia Romana, & alibi paſſim Coronæ à Ducibus; & Reſpublicæ quæ Coronarum loco habentur, ab aliis quæ non niſi Ducum honore fruuntur, diſtinguuntur: ita Electores Regibus, cæteros Germaniæ Principes aliis Ducibus liberis, æquari rationis erit; Neque igitur ab Electoribus ad Principes validum ſatis argumentum ducetur. Sanè Veneti dudum obtinuiſſe creduntur, ut Legati eorum pari cum Regiis jure utantur. Nam & ſolenni pompa recipiuntur apud Reges, & jam olim à Pontificibus obtinuere, *Sala Regia* (quam vocant) honorem, cum Genuenſibus aliiſque tantum in Sala Ducali locus ſit. Ejus rei origo tangitur in literis Abbatis Michaëlis Juſtiniani aliquot ab hinc annis editis, inter quas una eſt al Sign. Carlo Cartari: *Intorno il tempo che gli Ambaſciadori di Venetia comminciarono haver da Pontefici la Sala Regia, che fù nel* 1560. *per la conceſſione del Papa Pio IV. come dice Franciſco Muccanti Maeſtro di Ceremonie di quel tempo.* Et Franciſcus Sextini in libro cui titulus eſt *Il Maeſtro di Camera*, crebrò monet Legatos Regios à Ducalibus diſtingui, exempli cauſa cap. 31. *Del ricever le Viſite*; inquit: *I Cardinali nuovi ricevono in habito del colore conforme al tempo con rocchetto ſcoperto tutti i Cardinali che rendono la viſita. Et nello ſteſſo habito ancò ricevono i Duchi Sereniſſimi e gli Ambaſciadori Regii reſidenti, cioè dell' Imperatore, di Francia, di Spagna, e di Venetia. In Sottana & Mozzetta ricevono gli Ambaſciadori di Toſcana e Savoia & tutti i Baroni e altri perſonnaggi che viſitaſſero detti Cardinali nuovi.* Idem tamen poſtea notat, Cardinales generatim (id eſt excepto quem dixit novorum Cardinalium caſu) Legatos Regios à Ducalibus quoad habitum quo recipiuntur, non diſtinguere. Capite ſequenti *dell' Ambaſciata* (id eſt de Interpellatione Cardinalis miſſo intus ejus Cameræ Magiſtro) *Eſſendo all' audienza Cardinali per Duchi Sereniſſimi e per fratelli e Nipoti del Papa vivente, Alcuni Cardinali ſogliono volere che ſia fatto loro anco per Ambaſciadori Regii.* Nimirum ſi quis ſit apud Cardinalem non videtur interrumpendus niſi ab æquali. Itaque ſi Cardinalis ſit intus,

apud Dominum, l'*Ambaſciata* ſive interpellatio fiat à Magiſtro Cameræ, ſi ſuperveniat alius Cardinalis, aut Dux Sereniſſimus aut nepos Papæ, Dominum inviſens. Si verò Legatus Regius veniat, ſatis teſtatur generaliter id non fieri, ſed apud aliquos tantùm Cardinales. Ex quo intelligitur tum Duces Sereniſſimos à Legatis Regiis, tum vero & Legatos Regios à Legatis Ducum diſtingui, nam idem poſtea ſubjicit: *Quando ſono dentro al Cardinale Ambaſciadori Regii non ſi fà l'Ambaſciata per quelli di Toſcana e di Savoja; quando vi ſono poi detti Ambaſciadori di Toſcana e di Savoja non ſi fà Ambaſciata per li Agenti di Duchi Sereniſſimi, ne per li Ambaſciadori di Malta, di Bologna e di Ferrara.* Unde apparet hîc Legatos Ducales ab Ablegatis (quos hoc loco vocat *Agentes* alio paulo quam nunc apud nos uſitatum vocis ſenſu) ſatis diſtingui, & Legatos Magni Magiſtri Melitenſis eodem loco cum illis haberi quos Bononia & Ferraria mittunt, id eſt pro Deputatis: non minùs enim ille quam hi à Papæ Subditis venire videntur. Sed hoc obiter. Idem cap. 33. *Del rincontrare*; inquit, *I Cardinali ſogliono rincontrare gli altri Cardinali al meno nella ſala de Palafrenieri, & alcuni ſogliono davantaggio ma non più che à capo delle ſcale. I Duchi Sereniſſimi quanto i Cardinali*, (hoc ſane notari meretur, cum Cardinales Electoribus non utique cedant) *gli Ambaſciadori Regii due o tre ſtanze, ſecondo che ne ſono in quella caſa, e per la prima ſtanza intendo quella che ſi trova ſubito all' uſcir della Camera dell' audienza; i fratelli e Nipoti del Papa vivente quanto gli Ambaſciadori Regii. Gli Ambaſciadori di Toſcana e di Savoja una ſtanza e mezza.* Quodſi ergo Legati Regii, & cum his Veneti à Ducalibus tanta cura diſtinguuntur, ideò ſi admittamus Legatos Electorum Venetis æquari, ne dicam præferri (quod Daniel Weimannus quondam Cancellarius Clivienſis Tractatu eleganti docebat, quem manuſcriptum videre memini) non magis poterimus à Legatis Electorum ad Legatos reliquorum Germaniæ Principum argumentari, quam à Legatis Regiis ad Ducales. *Hæc eſt objectio* in qua ſpe-

ſpeciei plurimum, firmitatis nihil. Equidem dubitari poſſet, an Legatis Venetorum comparari per omnia poſſint Electorales, nam ut ſupra dixi, Veneti introitus ſolennis jure utuntur, teguntque ſe coram Regibus, quorum neutrum Electorum Legatis hactenus in Gallia indultum eſt. Et Curia Romana neſcio an Electoribus eundem quem Venetis honorem habitura eſſet. Sed quoniam mihi Gallorum hoc in genere duritas rationi conſentanea non videtur, Electorumque dignitati favere Germani hominis eſt, quam vir Doctiſſimus Joh. Freinshemius Libello de *Electorum Eminentia ſuper Cardinales*, multis olim defendit: ideò ponamus age Electorales Legatos Regiis ac Venetis ſi non poſſeſſione, jure certè æquandos eſſe, & multis nominibus à Ducalibus diſtingui, manifeſtum erit tamen illis in rebus diſtingui non poſſe, in quibus nec Regii à Ducalibus diſtinguuntur. At vero minime diſtinguuntur illi quoad *Excellentiæ* appellationem honoremque primæ viſitationis & potioris loci, & in univerſum quoad illa omnia quæ in Congreſſu Legatorum inter ſe invicem obſervari ſolent: ſecus enim eſt cùm honores à Regibus ipſis habiti conſiderantur: quibus Regii Legati à Ducalibus diſtingui ſolent; quibus vel ideò minus uti poſſunt Electorales contra Principum aliorum Legatos, quòd in his Electorales ne Ducalibus quidem omnibus æquantur: hactenus enim Ducum Italorum Legati ſe tegunt coram Regibus etiam in Gallia, quod nondum Electores in ſuorum Legatorum gratiam obtinuerunt.

Digitized by Google

Cap. XXXVIII.

Vulgus exterorum externam ſpectans pompam, immenſam inter Electores & Principes diſtantiam imaginatur. Poteſtas Electorum circa Electionem. Capitulatio Aureæ Bullæ ignota. Hanc Electores pro lubitu formare cœpere. Ferdinandus II. ſolos Electores conſuluit de ſumma Imperii. Ferdinandus III. & Leopoldus Ordinum jura reſtituerunt. Pax Weſtphalica in Comitiis Capitulationem perpetuam *fieri voluit. Dubitatum nuper de jure Adcapitulandi. Poteſtatem deponendi Imperatoris ipſis concedere non auſim.*

SEd quoniam multi, præſertim exteri, rerum Germanicarum parum periti, quodam opinionis errore, immenſam inter Electores alioſque Imperii Principes diſtantiam ſibi fingunt, ſeducti partim à pompa ſolemnium, quibus in Electione atque Coronatione Imperatoris, ubi maximè exteri ad ſpectaculum concurrere ſolent, à cæteris diſtinguuntur, partim decepti à rerum Imperii Juriſque Publici ſcriptoribus, maxime veteribus, qui Capitulationibus Imperatori ab Electorali Collegio præſcriptis inſiſtentes, pleraque Majeſtatis jura ſolis Electoribus communicant, & in Comitiis Imperii generalibus tantum putant unum poſſe Electorem, quantum Principes decem. Ideò poſtulat argumentum quod tractare ſuſcepimus, ut Principum honorem contrà iniquas obtrectationes aſſeramus, quod ita tamen faciemus, ut omnibus æquis judicibus appareat *pro Principibus magis quàm contra Electores à nobis dici.* Credibile eſt enim Electores ipſos ſapientiſſimos Principes, nolle creſcere Principum detrimentis, cùm non ignorant, Imperii tranquillitatem non niſi æquitate & juſtitia ſtare poſſe: turbatis autem Imperii rebus eam cuique autoritatem eſſe quam propriæ vires faciunt, non quam Leges aſſcribunt: cùm contrà Electorum quorundam prærogativa recepto uſu potius,

Digitized by Google

tius, quàm domeſtica potentia nitatur, & ſint Principes qui ditiones cum quibuſdam Electoribus non permutarent, quas etiam aliquot ante ipſos ſeculis poſſedêre. Porrò poteſtas Electorum legibus Imperii ſtabilita, aut moribus introducta in duobus potiſſimum capitibus conſiſtit: *Electione Imperatoris, & rerum Imperii adminiſtratione quadam peculiari. Electio Imperatoris* jus illis tribuit habendi Comitia Electionis cauſa, illiſque Imperatorem declarandi, quem major ſuffragiorum numerus probaverit. Cœpere paulatim Electo Imperatori certas quaſdam leges præſcribere, quas vocant *Capitulationes*, quæ tractu temporis aliis ſemper aliiſque pro Imperii neceſſitate aut Electorum utilitate adjectis crevere, & paſſim pro lege Imperii Fundamentali habentur. Exſtat volumen Capitulationum inde à Carolo V. cum notis Limnæi. Equidem de Capitulationis præſcribendæ jure altum in Aurea Bulla Caroli IV. ſilentium eſt, quæ tamen ſatis alioqui in Electores liberalis videtur. Tantum illud reperitur cap. 2. paragrapho 5. *Quod is qui in Regem fuerit Romanum electus* (verba ſunt textus) *peracta ſtatim Electione hujuſmodi, priuſquam in aliquibus cauſis aliis ſive negotiis, virtute Sacri Imperii, adminiſtret, univerſis & ſingulis Principibus Electoribus, Eccleſiaſticis & ſecularibus, qui propinquiora Imperii membra noſcuntur, omnia ipſorum Privilegia, literas, jura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines, etiam dignitates, & quicquid ipſi ab Imperio uſque in diem Electionis ſuæ obtinuerunt, & poſſederunt, abſque dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per ſuas literas & ſigilla, ipſiſque præmiſſa omnia innovare, poſtquam Imperialibus fuerit inſulis coronatus.* Hac uſque Bulla. Quæ verba etſi Capitulationes nullo tangant modo, originem tamen illis præbuiſſe videntur. Electores enim formulam præſcribentes Electo Regi qua privilegia eorum confirmare ſponderet, alia paulatim quæ in rem videbantur, boni publici ſpecie adjeciſſe videntur: unde tandem natæ ſunt Capitulationes, quales videmus: Imperatoribus non repugnantibus; qui nullas facile conditiones repu-

diabant, ut Imperio potirentur. Sed cùm ea ratione Electores ad ſe trahere viderentur Legiſlatoriam in Imperio poteſtatem (ſaltem pro tempore durantis regni Electi Imperatoris; futuram repetitis Electionibus perpetuam) reliqui Ordines expergefacti jam ſub Rudolpho II. queri cœpere, jura Statuum convelli ac fundamenta Libertatis Publicæ ſolicitari, dum ad paucos revocetur quod omnium eſt. Vetera enim *compactata*, ut vocant, ſive *pacta conventa*, quibus Imperatorum poteſtas circumſcribebatur, conſilio Statuum inita eſſe. Renovatæque inprimis querelæ ſunt, cum Ferdinandus II. ſummam rerum Imperii ad Electores trahere velle videretur, nam quamdiu ille Imperium rexit, Conventus tantum Electorum habiti ſunt, Ordinum verò Comitia nulla. Eccleſiaſticos enim Electores tunc Cæſar in poteſtate habebat, mediam Collegii partem, cui ſi accederet Bavarus, honorem Cæſari acceptum referens, jam ſuffragiis vincebat. Sed hæc gubernandi Imperii ratio pene ipſis Electoribus fatalis fuit, Palatino everſo, & Saxone nutante, niſi Lipſienſis pugna rerum faciem mutaſſet. Nec dubium erat quin victo pulſoque Guſtavo Cæſar, jam Imperii ſine controverſia arbiter, etiam exiguam Bavari rationem habiturus fuiſſet, quem cum Gallis occultè tractare non ignorabat, atque ita periiſſet omnis Electorum autoritas, cum Eccleſiaſtici parum metuerentur. Uſque adeò ſcilicet periculoſum eſt à via regia publicæ utilitatis diſcedere, privati compendii cauſa, malo ſæpe in ipſos autores verſo. Sed vigilantibus pro Germania fatis res aliter cecidit: nam Cæſar Ferdinandus III. Princeps ſapientia & moderatione inclytus, majorum more iterum Comitia Ordinum conſcripſit Ratisbonæ anno 1640. quibus ad pacem ſtrata eſt via. Secutiſque Weſtphalicis Tractatibus Libertati Ordinum & huic quoque Capitulationis negotio proviſum eſt, ut in proximis Comitiis de certa conſtantique Capitulatione Cæſarea ageretur. Ita in Comitiis anni 1653. ea de re tractari cœptum, & interea Collegii Principum nomine monita Electoribus exhibita ſunt, quorum in proxima Electione

ne

ne Romanorum Regis (Ferdinandi IV.) ratio haberetur, quod & pro parte factum. Sed cum Principibus per omnia ſatisfactum non eſſet, & nova ab iis oblata Monita Electores Francofurti in Capitulatione Leopoldina condenda parum curaſſet, contradictio, quam Proteſtationem vocant, Principum nomine ſecuta eſt; qua negant in controverſis capitibus Capitulationem hanc à ſe pro Lege Imperii habitum iri. Cumque jactarent palam multi, conſilia Electorum ad Oligarchiam ſpectare, atque maturè reprimenda eſſe, affundentibus oleum igni Gallis Suecisque qui Principes contra Electores animabant, tamen moderatis ac prudentibus viſum eſt, nihil temere ac violenter decernendum, cùm ſpes eſſet, Electores ipſos, æquitatis ac publici juris rationem habituros. Itaque cum Turcico bello ingruente Cæſar auxilia circumſpiciens, comitia Ratisbonæ indixiſſet, quæ nunc quoque præter omne exemplum ita jubente rei publicæ uſu durant, Ordines, captata occaſione, evicêre ut Capitulationis cauſa, quemadmodum in Weſtphalia conventum erat, proponeretur. Scripta eſt formula perpetuæ legis Regiæ & particulatim examinata, cumque omnia pulchrè procederent, Prologuſque & Epilogus maxime reſtare viderentur, Electores derepente coorti, novum re nomineque *Jus Adcapitulandi* produxêre, quod ſervari ſibi poſtulabant. Cæteris vero viſum eſt, hoc admiſſo quæ acta erant omnia ſubverti, cur enim formula conſtans conſcripta eſſet, ſi libertas addendi quæ libuiſſet, id eſt uno verbo Leges ferendi, Electoribus relinqueretur. Itaque ad hunc ſcopulum hæſit tractatio, donec imminens à vicinia tempeſtas ad graviores curas animos omnium avertit. Noſtrum non eſt in tanta re judicium interponere, ſatis erit annotaſſe autorem libelli Gallici cui titulus eſt, *Lettre d'un déſintereſſé* (de quo ſupra) cum Electorum prærogativas enumeraret, illas certè in calculum referre non debuiſſe quæ nunc ſub judice ſunt, & in Publicis Imperii Conventibus diſceptantur; quod ſi omnino citandas putabat, rectè facturum fuiſſe, ſi aut rationes adduxiſſet ſententiæ ſuæ, aut ubi reperiri

periri poſſint, judicaſſet. Nam litigioſa velut confuſa proponere, eſt lectorem circumvenire, & ſine probatione aſſerere quæ tantùm negando refutantur, eſt eum contemnere. Aliam ſibi poteſtatem arrogarunt olim Electores, deponendi Cæſaris, ſi ita mereri judicarent, ſed in eo mihi videtur nimium è Republica peti. Cur enim paucis liceat ſuo arbitrio, cuncta convertere, & in Cæſarem ipſum Imperium exercere? Rectè dixit Juriſconſultus, *judicem ſententiam revocare non poſſe, nam cum pronunciavit, functus eſt officio ſuo:* ita Elector nominato Cæſare muneris ſui partes explevit. Nec video quid illis tantam tribuat poteſtatem; non ratio, non Imperii leges, nec mos patrius, neque ulla exempla. Nam quæ in Ludovicum Pium, Carolum Craſſum, Henricum IV. Ottonem IV. Fridericum II. à proceribus per tumultum ac plerumque per injuriam acta ſunt, ad Electores non magis quam ad alios pertinent. Wenceſlaus monſtrum hominis ab omnibus ſpretus, ac deſertus erat, ut Electores ſententiam omnium Ordinum ſecuti non depoſuiſſe Cæſarem ſed vacante Imperio, novum elegiſſe videantur, ipſo Wenceſlao res Germaniæ parum curante, cùm enim ſoli Germanorum Noribergenſes novo Cæſari Ruperto fidem dare nollent, niſi venia Wenceſlai, Wenceſlaus aliquot vini Baccharenſis plauſtra ſtipulatus, ſacramento eos abſolvit. Poteſtas ergo Electoria in hoc quidem negotio huc ſine controverſia redit, ut Imperio, imò rei Chriſtianæ de capite provideatur, cujus virtute & autoritate collapſa inſtaurari, reliqua ſuſtentari pôſſint, cujus poteſtas Imperii legibus potius, quàm paucorum arbitrio circumſcripta, arctiores nocendi limites habeat, ad res autem bene gerendas, beneficiaque in Rempublicam conferenda, ampliſſimâ libertate laxetur.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XXXIX.

Poteſtas Electorum circa adminiſtrationem Imperii. Senatuſconſultum ſeu jus præconſultandi non concludendi. Ipſorummet teſtimonium. Placuit aliquando ut ſex Electoribus ſex alii Principes adderentur, cum de gravioribus deliberaretur. Non competit illis jus interpretandi leges, nec cognitio de Status proſcriptione ne quidem in caſu notorii. Cæſar tamen cum ſolis Electoribus deliberat de habendis Comitiis.

ALtera Electoralis officii pars in quadam rerum Imperii adminiſtratione conſiſtit, quæ vel ad Comitia Ordinum pertinet vel alias in Conventibus Electoralibus aut communicatione per literas inſtituta exercetur. Ac primum quidem operæ pretium erit conſiderare, quid Electores per ſe, extra generalia comitia poſſint. In quo poteſtas eorum ſimilis videtur illi, quam Senatus exercet in Polonia, qui deliberationes *antecomitiales*, *poſtcomitiales* & *extracomitiales* habet, non quadam de maximis rebus ſtatuendi vi, ſed ſuadendi atque conſulendi autoritate. Reipublicæ autem vis in ipſis conſiſtit Comitiis, quæ niſi probent Senatusconſultum, nihil actum videtur. Itaque Electorum quoque munus in præconſultando conſiſtit, & ipſi plerumque res majores ad plena Comitia rejecêre. Cum enim Rudolphus II. Imperator à fratre Matthia in anguſtias redactus, re moram Comitiorum generalium non ferente, Electoralem Conventum Noribergæ per Legatum habuiſſet, ut auxiliis Imperii labantem autoritatem ſuſtentaret, Electores cauſati ſunt, talia ab Ordinibus univerſis tractanda eſſe: cum tamen inventa à nonnullis poſtea diſtinctione uti poſſent, inter ea quæ moram fuerunt, & quæ præſentem opem poſtulant, qualis tunc erat cauſa Cæſaris. Et in Conventu Electorum Ratisbonenſi anno 1630. Electores Cæſari nimia poſtulanti reſpondêre, ubi omnium ope ac ſubſidiis opus ſit, omnium quoque Ordinum deliberatione opus eſſe. *Et ſuperiori ſeculo Proteſtantibus*

ſtantibus Electoribus & Principibus Suinfurti conſultum viſum eſt, ut cum de Rege Romanorum vivo Cæſare eligendo, vel aliis gravioribus negotiis Collegii Electoralis ageretur, ſex Electoribus totidem ex præcipuis Principibus adderentur. Sunt qui putant, ſi non Legum ferendarum, certe adminiſtrandæ juſtitiæ atque Executionis curam propius ad Cæſarem atque Electores ſpectare, quod Ferdinandus II. Edicto de bonis Eccleſiaſticis anno 1629 publicato, aſſeverabat: Ubi querentibus Ordinibus quod Legiſlatoriam Poteſtatem ad ſe trahere videretur; Imperatoris nomine à Conſiliariis Aulicis non abſurdè ſanè reſponſum eſt, non hic de lege ferenda ſed juſtitia adminiſtranda ac Pace Religioſa exequenda agi. Saxo tamen Elector literis 28 April. anni 1629. ad Cæſarem datis multis rationibus oſtendit cauſam Edicti ad Comitia rejiciendam eſſe. Quare interpretatio quoque Legum publicarum ad Electores ſolos minimè pertinet. Idque velut confeſſum ſumſere Ordines qui Francofurti 8 Auguſti 1658. contra Leopoldinam Capitulationem & quoddam Electoralis Collegii Decretum de die 27 Julii teſtati ſunt, admiſſo hoc Decreto, ſolius Collegii Electoralis fore interpretationem Aureæ Bullæ, quod abſurdum eſſe conſtet. Electorales quidem efficere nuper conati ſunt; ut Proſcriptio Statuum ab ipſorum inprimis arbitrio penderet, nam in Capitulatione Ferdinandi III. primum adjectum eſt, ut ne quiſquam ex Statibus proſcribatur inconſultis Electoribus, & anno 1653. à Cæſare, Conſilio cum Electoribus habito, proſcripta eſt Bremenſis civitas, quod ſe vectigali à Cæſare Comiti Oldenburgico in Viſurgi conceſſo, oppoſuiſſet: ſed reliqui Ordines acriter his molitionibus contradixere, quemadmodum apparet ex conſultatione Ordinum Inferioris Saxoniæ in Conventu Circulari Lunæburgi 1652 indicto: ubi decernunt dandam operam ut Banni negotium ad Ordines Imperii rejiciatur, veteri more. Cumque in Capitulationibus Ferdinando IV. & Leopoldo feliciter regnanti præſcriptis Electores cœptam paulò ante formam retinuiſſent, à Principibus univerſis contradictum eſt, & nominatim ab

Euan-

Digitized by Google

Euangelicis, anno 1658. in Monitis ad artic. 28. Capitulationis Ferdinandi IV. annotatum, ne prætextu quidem notorietatis, ſive manifeſti juris, Statum aliquem extra Comitia Ordinum proſcribi poſſe. Nam Electores aſſenſerant denique atque Capitulationi inſeruerant, ut proximis Comitiis de modo proſcribendi atque proſcriptionem exequendi conſultaretur, adjecta tamen notorii exceptione verſ. (wäre es aber ſach daß die That an ſich ſelbſten gantz notori und offenbahr / ꝛc. ſo wollen wir jedoch auch in dieſem Fall mit zuziehung des Heil. Reichs erſtgemelter ohn intereſſirten Chur-Fürſten ehe und bevor wir zu der würcklichen Achts-Erklärung ſchreiten/ communiciren ꝛc.) ſcilicet in caſu notorii Cæſari integrum futurum eſſe conſultis Electoribus ad proſcriptionem procedere; Principes verò animadvertentes, quantum in notorio definiendo captionis eſſe ſoleat, hunc verſiculum Wäre es aber / tolli poſtulaverunt. Unde intelligi poteſt ſingularem Electorum poteſtatem circa graviora Imperii negotia quæ cæteris Ordinibus præjudicare poſſint, inde à Ferdinandi II. temporibus tentatam, à Principibus maturè oppugnatam, adeoque nec poſſeſſione aut uſu introductam, nec Juris ratione evictam eſſe, & contraria præſumtione gravari: quoniam privilegia ſtricti juris eſſe conſtat. Sunt vero alia magni & ipſa momenti, quæ à Principibus libenter conceduntur, quale illud eſt, ut de Comitiorum tempore, loco, modo, cauſis Cæſar potiſſimum, cum Electoribus, præconſultet; quamquam enim ipſa ſæpe Imperii neceſſitas Imperatorem atque Electores interpellet, neque in cujuſquam poteſtate ſit alia negotia admittere in Comitiis, alia excludere: utile eſt tamen omnia ordine geri & in interiore atque, ut ita dicam, ſanctiore Imperii conſilio, quod Cæſar cum Electoribus conſtituit, difficilia Imperii momenta digeri atque præparari: quod tantum abeſt, ut improbent Principes atque Ordines, ut è re publica potius eſſe arbitrentur, cùm alioqui cruda negotia in Comitia propulſa, vix multa temporis jactura perpoliantur atque elimentur.

CAP.

Cap. XL.

Poteſtas Electorum in Comitiis: Collegium faciunt ſeparatum. Dubium an binorum ex tribus Collegiis conſenſus tertium cogat. Dubium etiam an vota numerari debeant in dubio gravi curiatim, an vero viritim. Etiamſi numerus ſuffragiorum in utroque Collegio ſeparatim vinceret, tamen Principes Magni reapſe majorem, quam pro ſuffragiorum ſuorum numero potentiam habent, quia cæteros animant aut trahunt. Ideo falſum, tot poſſe unum Electorem quot Principes decem; ſunt enim Principes qui tantum revera in Comitiis poſſunt, quantum aliqui Electores.

POrrò in ipſis Comitiis Electores ſeparatum faciunt Collegium, aliud Principes, tertium Civitates: propoſitione à Cæſareo Commiſſario facta in unoquoque Collegio deliberatur & pro ſuffragiorum numero concluditur. Inde inter duo Collegia ſuperiora Re- & Correlatio inſtituitur, id eſt quod eorum primum deliberationem abſolvit, cum altero communicat. Conveniunt ambo in communi loco, ac tamdiu rem agitant donec aut in eandem ſententiam conventum ſit, aut deſperatus videatur conſenſus; inde Civitates vocantur quibus conſenſus diſſenſuſve ſuperiorum Collegiorum indicatur, ſententiaque ipſarum exquiritur, quæ ſi alterutri diſſentientium accedant, magnum ejus opinioni pondus addunt; & ſi nonnullis credimus, victoriam tribuunt: quod mihi non uſquequaque liquidum videtur. Nam ſi Electores cum Civitatibus Principes vincunt, vel Principes cum Civitatibus Electores ſuperant, certè multò magis Electores Principeſque juncti vincent Civitates: quo facto periit Civitatibus eo in caſu jus ſuffragii efficacis, ſive ut loqui ſolent, voti definitivi, eluditurque Conſtitutio Inſtrumenti pacis: cum enim, ut nunc eſt Comitiorum ſtylus, Civitates non niſi poſt Electorum & Principum

Digitized by Google

pum communicata conſilia interrogentur, manifeſtum eſt conſentientibus jam his Civitates ne quidem audiri opus eſſe; itaque nondum plane exploratum majorem numerum ſuffragantium Collegiorum concluſio Ordinum (Reichs-Gutachten) formando ſufficere. Porrò ex hac deliberandi forma quidam judicant, Electores ſeptem in Imperio tantùm poſſe quantum Principes alios omnes, quoniam Collegium Electorale Collegio Principum æquivalet. Hæc ita eſſent, fateor, ſi omnia Imperii negotia pro ſuffragiorum numero in unoquoque Collegio definirentur, ſed prærterquam quod quædam negotia ſua natura ſuffragiis ſubjici non debent, ſciendum eſt a viris rerum Germanicarum peritis hodieque dubitari, an omnino ulla in cauſa abſolutè verum ſit majorem numerum in unoquoque Collegio ſeparatim æſtimandum eſſe; equidem fateor ad Re- atque Correlationes eſſe utile, ut uniuſcujuſque Collegii ſententiæ exquirantur, pleraque tamen omnia ferè magis amica compoſitione quam vi numeri ſuperioris tranſiguntur. Si, ut apud Venetos ac Genuenſes fieri ſolet, unuſquiſque calculum tacitus injiceret urnæ; inde calculis colore diſcretis atque dinumeratis palpabili quadam ratione controverſiæ dirimerentur, fateor tantum valeret credo in Comitiis Elector unus, quantùm Principes decem. Nunc verò, quemadmodum ſupra attigi, rationum vis plurimum poteſt & potentiorum autoritas reliquos trahit aut animat. Nec dubium eſt quin tantum in Comitiis poſſit aliqua domus Principalis quantum aliqua Electoralis. Equidem non admodum vetuſta eſt Statuum in Collegia diſceſſio quam Lehnmannus ad Friderici III. tempora refert, & curiatim potiùs quam viritim agi cœptum eſt haud dubie facilioris tractationis cauſa, non ut tanta conſtitueretur inæqualitas, quantam hodie ſibi fingunt: quis enim crederet paſſuros fuiſſe Principes tantam mutationem, ut unus decem æquaret, quorum ſingulis antea tantùm par viſus fuerat: ſcilicet illorum temporum ſimplicitas tam futiles argutias non capiebat; neque tunc ſcrupuloſè numerabantur ſuffragia: & de ſemiſſe aut ſextante,

Digitized by Google

te, ſummæ in Imperio poteſtatis unciiſque ejus, & ſi Diis placet unciarum minutiis, quas aliqui ſingulis Electoribus aſcribunt, diſputare putidum fuiſſet: ſed qui eloquentia aut factione plurimum poterat, cæteros trahebat; eo ferè modo quo hodie in Polonia pleraque tranſiguntur. Operæ pretium erit hoc loco tranſcribere quæ vir aliquis judicioſus & rerum patriarum peritus nec Principi magis quam Electori cum ſcriberet obnoxius, ea de re diſſeruit, quibus tamen non per omnia aſſentior: [*Electoribus*, inquit, *de conſenſu reliquorum Ordinum tantum Electio Cæſarea, præ cæteris eſt conceſſa, non verò ullibi legimus ſanctione Imperii inductum vel ſtringenti conſuetudine obſirmatum, quod Electoralia vota, (licet his merito habeatur prærogativa honoris,) præſertim tanto exceſſu, aliorum Principum ſuffragia exuperare debeant, ut ſeptem Electores, totam Principum claſſem quæ quam plurimis votis conſtare aſſolet, poſſint parificare: hinc verſamur adhuc, quod ad Comitialia attinet, in terminis illius temporis, ante quod Septemviratus ſuum nactus fuit principium: adeò, ut ſicut tunc inter Electorum & Principum vota: reſpectu ponderis & valoris in publicis negotiis non fuit tanta diſtinctio, ſic ne hodie quidem contrarium obtinere debeat. Nec movere poteſt ex adverſo, quòd tres illæ claſſes, Electorum, Principum ac Civitatum Imperialium, curiatim invicem agant, ſuaque vota expromant: nam Collegia illa ſuas deciſiones, plerumque tunc demum invicem aperiunt, cùm unumquodvis illorum ſecum conſentit; ideoque non eſt neceſſe ſpeciatim exprimere, hunc vel illum Electorem, aut Principem hoc idem ſenſiſſe, ſed ſufficit, brevitatis cauſa, Collegii totius vel majoris partis placita edicere, præſertim quoniam amicabili modo agitatur ac rationibus hinc inde collegiatim expoſitis compendioſiori via in idem placitum tranſitur, quàm ſi ſingulatim vota Claſſium dinumeranda eſſent. Ex eo tamen non ſequitur, curias illas partim dignitatis reſpectu, partim facilioris tractationis gratia adinventas, alteri Collegio præ altero amplius jus tribuere,*

buere, vel adimere quam competierit antè; aut alterum alteri contra priſcum jus exæquare. Unde ſi contingat ut una Curia alteri repugnet, debent vota cuncta conſiderari ac forte v.g. dicetur: tot ſtetiſſe pro hac ſententia vota Electoralia, Principalia, &c. pro contraria tamen tot vel Majora: ut ſic ſenſus iſte, de colligendis majoribus, reſpectu votorum magis quam claſſium, nec ab uſu videatur alienus.] Hæc ille. Nos tametſi fateamur hodie numerari ſuffragia (vide R. A. zu Trier und Cöln Anno 1512. §. es ſollen auch die Churfürſten. R. A. zu Worms 1521. §. würde ſich;) illud tamen aſſerimus, Magnos Principes non eſſe capite cenſendos, nec tam numero quam autoritate atque exemplo valere, & primæ æqualitatis expreſſa veſtigia ſupereſſe in *Deputationibus Imperii ordinariis* ubi non curiatim, ſed viritim ſuffragia colligenda ſunt, nec plus valet Electoris quam Principis ſententia, quemadmodum noti fuit uſus, & teſtantur Status Euangelici in ſuis Gravaminibus Politicis Anno 1645. Oſnabrugæ oblatis.

Digitized by Google

Cap XLI.

Si non viritim, ſed curiatim ſuffragia æſtimantur, nihilo magis verum eſt, quòd unus Elector tantum poſſit; quantum Principes multi, niſi in illis cauſis quæ numero ſuffragiorum ſubmittuntur, quales ſunt illæ maximè quæ ad communem Imperii adminiſtrationem, non verò æque illæ, quæ ad ſingularum ditionum regimen ac Suprematum pertinent, ut religio, libertas, & ſecundum nonnullos, Collectæ. Equidem proſcribi poteſt Princeps in Comitiis per majorem numerum ſententiarum; ſed cum proſcribere ſit hoſtem judicare, patet idem fieri poſſe etiam in Principem externum ab Imperii nexu liberum; Præſertim cùm alioqui exteri cauſis majoribus ubi de Principum ditione agitur, miſceri ſoleant, non tantum ob ſtatus rationem, ſed & prætextu conſervandæ Weſtphalicæ Pacis. Itaque belli vitandi cauſa graviora potiùs amica compoſitione, quam numero ſuffragiorum tranſiguntur. Concludo ergo Electorum functiones, quibus ſupra cæteros eminent, tantum ad præconſultationes & minora negotia (excepta Electione) ſpectare, quæ etiam non Principibus, ut olim Regimento, committi poterant.

SEd eſto ita: ponamus, tantum poſſe unum Electorem, quantum Principes decem; fatendum erit, hoc non niſi in illis cauſis locum habere, quæ ſuffragiorum numero, & ut vulgò loquuntur, pluralitati votorum ſubmittuntur. Videtur autem hodie res eò propemodum rediiſſe, ut in cauſis gravioribus, unde periculum Reipublicæ creari poſſit, amicè tranſigatur potius, quàm multitudini calculorum præfractè inſiſtatur. Dudum contendêre Proteſtantes, in cauſa religionis majoris numeri jus ceſſare. Idem à multis ad negotium publicorum onerum extenſum, ne alter alteri præjudicium faceret ſuffragando: in congreſſibus Weſtphalicis re diu agitata ita denique concluſum eſt, Cap. 5. §. 19:

[In

[*In cauſis Religionis omnibuſque aliis negotiis ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in diverſas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio litem dirimat, non attenta votorum pluralitate; quod vero ad pluralitatem votorum in materia collectandi attinet, cùm res hæc in præſenti congreſſu decidi non potuerit, ad proxima comitia remiſſa eſto.*] Hinc jam intelligi poteſt, ſi dubitationem de oneribus publicis ipſa Pacificatio Weſtphalica in medio reliquit, & quodammodo probavit, multò minus cauſas quæ libertatem ſalutemque cujuſque Status contingunt majoris numeri ſententia tranſigi: hæ enim quantocunque collectarum onere graviores ſunt. Itaque ſi de minore negotio dubitatum eſt legitimè, de majore dubitabitur longè juſtius. Multi fortiter aſſerunt ne tunc quidem pluralitati ſtandum, cum inter Catholicum & Proteſtantem diſceptatur, licet de cauſa minimè religioſa. Et in Conventu Circulari Inferioris Saxoniæ ann. 1652. quoad Collectas diſcrimen factum inter neceſſarias & voluntarias, ita ut in illis tantùm ſuffragia vincerent, non verò in his, ac ne tunc quidem cum hoc ipſum quæreretur neceſſariæ an voluntariæ ſint quæ proponuntur. Quæ omnia in Comitiis anni 1654. acriter diſceptata ſunt. Equidem ſi æquitatem & communem utilitatem ſpectamus, fatendum eſt circa onera publica plerumque ſuffragiorum numero ſtandum videri, neque enim aliter ſibi conſtare poteſt ratio reipublicæ, & ſæpe multi nimis queruli dum juſta ac neceſſaria ac plerumque moderata declinant, deſerta publica cauſa, atque Imperio nervis deſtituto, turbatis poſtea rebus, longè gravioribus exactionibus premuntur, pluſque uno menſe ſolvunt quam Imperium integro luſtro tuliſſet. Ea ſcilicet hominum eſt iniquitas, ut ad æqua cogi velint; ea imprudentia, ut non conſiderent, ubi cogentur, neceſſariò graviora paſſuros. Vim enim atque arma quis cancellis includat & legibus moderetur? Demus ergo onera publica ſaltem moderata, majore numero definiri poſſe, & quæcunque alia ad publicam Imperii cauſam pertinent; ut ſi quis

Imperii hoſtis judicandus eſt, colligendus exercitus, præficiendi Duces, nominandi Deputati; ſi fœdera Imperii nomine ineunda, deſtinandi ad vicinos Legati, arbitrium exercendum, offerenda Mediatio eſt; commercia regenda; condendæ leges, circa ea inprimis quæ non tam domeſticas cujuſque Regionis rationes ſpectant quam de Provincia in Provinciam effectu atque uſu porriguntur. Nam quas unuſquiſque Ordinum in ſua ditione ſucceſſionum Leges eſſe velit, quas ſcelerum pœnas, quas contractuum ac Teſtamentorum formas, quæ dotium privilegia, nihil aut parum ad alios pertinent. Sed ſi quis vicini ſubditos aditu hæreditatum apud ſe prohibeat, ſi emigrandi Libertatem ſuis neget, ſi merces tranſeuntes vectigalibus aut Stapulis oneret, ſi commerciorum libertatem cum reliquis abrumpat; utique Imperio ipſi injuriam facit. Quare ita conſtitui poſſe videtur: *quæcunque inter nationes nullo vinculo connexas, ſolo gentium jure, id eſt bello, fœderibus, tractatibus, tranſiguntur, ea inter Germanicas gentes juris publici ſive comitialis eſſe videri*, & majore numero ſuffragiorum definiri, ſalva tamen cujuſque Regionis Germaniæ domeſtica libertate atque ſalute; cujus tuendæ cauſa cum in hoc ſive vinculum ſive fœdus coaluerint, finem atque ſcopum ſuum medio ad finem comparandum deſtinato (ſalutem ſcilicet Imperio) non ſubmittent; neque propter Imperium, Imperii agnoſcendi cauſas perdent. Ergone, inquies, ne in meritos quidem proſcriptio à majore numero decerni poterit: Imò verò, poterit, inquam, eo jure quo in hoſtes externos bellum ab Imperio decerni poteſt, majore ſuffragiorum numero congruente: Proſcribere enim nihil aliud eſt quam hoſtem judicare. Cùm verò eo caſu eveniente par ſit futura proſcripti atque exteri Principis ratio; præſertim cum rebus majoris momenti exteri miſceri ſoleant, quemadmodum ex Juliacenſi controverſia & proſcriptionibus Palatini & Megalopolitanorum conſtat; idque nunc maximè pateat, poſtquam Coronæ pacis Imperii ſe ſtatores ferunt, & reliqua Europa in idem, ut credere par eſt, jus ventura eſt, per

Novio-

Noviomagenſem tractatum, cui plerique interveniunt, & quo pax Monaſterienſis in iis omnibus capitibus credo confirmabitur, quibus nominatim non derogabitur: Hinc ergo manifeſtum eſt, in cauſis quæ magnas ditiones, libertatemque ac ſalutem Statuum ſpectant, aut ad vim veniendum eſſe, Imperio, ut nunc ſunt tempora, periculoſam, aut quæſtionem amicis compoſitionibus terminandam. Itaque reſtat ut minora tantum negotia, quæ ad ſingulos pertinent, & ex gravioribus Imperii negotiis ea tantum, quæ ſingulos quàm minimè gravant, juri Comitiali per ſuffragiorum numerum ſubjecta judicemus. Erunt, qui fatebuntur quidem in ea Imperii perturbatione & laxitate vinculi quo membra continentur, aliter ab homine prudenti non poſſe ſtatui; dolebunt tamen in ea nos tempora deveniſſe, ut aut precario in pace, aut vi in bello imperandum ſit: & circumſpicienda remedia putabunt, quibus qua licet occurratur malis, utque Imperii decreta ſine exceptione exitum nanciſcantur. Verum his cogitandum relinquo, an melior olim Germaniæ conditio fuerit, cùm omnia manu fierent, quàm nunc ubi vis ac jus miſcentur; & an æquum ſit, ut in Comitiis (pro ea qua hodie utimur formâ) tantum aut multo plus poſſint, qui parum quod perdant habent, quàm qui potiſſima onera ferunt. Itaque ſi unuſquiſque ſuffragia haberet in Comitiis & ſubſidia conferret publicis neceſſitatibus pro potentiæ ratione, tum vero æquum foret omnia ſecundum majorem numerum ſuffragantium tranſigi: atque hoc niſi fiet, ſemper quærendi rationes reſtabunt. Concludo igitur, cùm ea maximè quæ ad communem Imperii adminiſtrationem ſpectant, & Unionem ipſam attingunt, in Comitiis jure majoris numeri collegiatim concludantur, reliqua verò graviora quæ ad jus cujuſque Principis territoriale magis pertinent, amicè componi ſoleant, manifeſtum eſſe autoritatem Electorum quam circa rerum Imperii communium adminiſtrationem velut magiſtratus potius atque Conſiliarii Imperii, à cæteris Ordinibus quodammodo Delegati, quàm velut Principes, habent; & quæ etiam non Principibus ſaltem

ad tempus tribui poſſent (quemadmodum ex *Regimenti* inſtitutione patet) nihil eos diſtinguere à reliquis Principibus, circa ea quæ ad honorem Suprematus ac dignitatis ſpeciem inde promanantem pertinent.

Cap. XLII.

Electorum prærogativæ minores. Unio inter ipſos. Vicariatus. Præconſultationes circa Comitia. Officia hæreditaria. Vectigalia. Privilegium de non Appellando. Sed hæc partim aliis communia, partim huc non pertinentia.

Supereſt ut alias nonnullas Electorum prærogativas attingamus, quæ tamen ferè minoris ad ſummam rerum momenti ſunt. Ut quod *Unionem* quandam inter ſe colere & Conventus illis agere permiſſum eſt; idem enim etiam Circuli poſſunt, imò & Principes quilibet, eo quo nunc utimur jure, poſtquam fœdera recte ferire eos docuimus, Imperio innoxia. Huc referunt quòd Imperii Vicarii ſunt Electores Bavarus ſcilicet vel Palatinus, itemque Saxo; ſed dubitari poteſt an Vicariatus Electoratui cohæreat. Palatinus certè contrarium defendit, tranſlato enim in Bavarum Electoratu, novoque erecto, Vicariatum ſibi relictum putat, velut connexum Palatinatui Rheni; adeoque territorio, non officio. Præterea Sabaudus vicarium ſe fert Imperii in Italia, neque ideo Electorali dignitate fruitur, non magis quam æmulus ejus Mantuanus. Quod *Imperator Comitia indicturus Electores conſulit*, ad præconſultationes pertinet, quas in gravioribus negotiis Electorum Senatui ſupra conceſſimus. Hoc tamen nemo prudens ita credo interpretabitur ac ſi invitis ipſis Comitia haberi non poſſint, modo non fiat inconſultis. *Officia* illa *Hæreditaria* Imperii, Concellarii ſcilicet, Pincernæ, Dapiferi, Mareſchalli, Camerarii, Theſaurarii hodie magis ad ſolennes pompas quàm publicos uſus referuntur: quanquam illa primam Electorali dignitati occaſionem dediſſe non negem; ſunt præterea Munera hujuſmodi, quæ alii

alii ſibi contra Electores vindicant, & quæ ad alios quoque pertinent. Nam Wurtenbergicum Imperii Vexilliferum eſſe ſcribunt, imò & certo modo Rempublicam Argentoratenſem, qua de re libellus nuper prodiit. Carinthiæ Ducem Imperii Venatorem ajunt; & cum Carolus IV. Imperator Aquiſgrani coronaretur, Marchio Juliacenſis ſceptrum Regale tenebat manu; hoc ei eripere conabatur Ludovicus Marchio Brandeburgicus: orto tumultu intervenit Carolus, & habito Principum conſilio definitum eſt, quando Rex Romanorum coronatur, ad officium Electoris Brandeburgici ſpectare, ſceptrum Regale præferre: idem vero competere Juliacenſi, cum Feudorum Regalium Inveſtitura celebratur. Sub eodem Carolo IV. quando Wenceſlaus filius Aquiſgrani coronabatur, de Enſe Regali præferendo orta eſt Controverſia inter Ducem Saxoniæ & Ducem Luzenburgenſem, qui hoc ſui juris ratione Lotharingiæ & Brabantiæ eſſe aſſeverabat; Saxo contra ad Archimareſchallatum id pertinere, tam in Coronatione quam in aliis actibus. Cum verò uterque jus ſuum armis tueri conſtituiſſet. Carolus IV. Imperator, ut turbas præveniret, ſalvo utriuſque jure filium ſuum natu minorem, Sigiſmundum (qui poſtea Imperator fuit) decennem puerum enſem Imperialem præferre juſſit, ut habet magnum Chronicon Belgicum. His Electorum dignitatibus adde, quod vectigalia nova ſine Electorum conſenſu conſtitui in Imperio non debent, ſi Capitulationibus credimus. Verum reliquis Ordinibus videtur de vectigalibus ad Comitia eſſe referendum, idque hodie in negotio vectigalis Albiaci futurum videtur, ubi audiendos in Comitiis quorum intereſt ipſum nuper Collegium Electorale decrevit; cum antea vectigal quod Oldenburgicus Viſurgi impoſuerat, Cæſar cum Electoribus probaſſet. Præterea Electores nominant aliquos Cameræ Spirenſis Aſſeſſores; ſed hoc & quibuſdam Principibus commune, & parvi momenti eſt. Nam Aſſeſſor omni prioris Domini nexu abſolvitur, & præterea nominatus licet, à Camera probari aut rejici poteſt. Majus ineſt pondus privilegio *de non Appellando*

 à ſum-

à ſummo Electoris cujuſque Ditionum tribunali. Sed hoc Privilegium neque eſt Electorum tantùm, neque ab omnibus Electoribus exercetur. Nam non tantum Dux Pomeraniæ & Bremenſis, ſed & Duces Saxoniæ, lineæ non Electoralis, eodem jure fruuntur quo contra pleriqüe Electorum maximè Rhenani diutiſſimè caruere, donec id nuper à Ferdinando III recuperarent; ex quibus Trevirenſis hodieque maluit exercitio ejus abſtinere, quam novum in ſuis ditionibus tribunal erigere quo Inſtantia Cameralis ex privilegii præſcripto ſuppleretur. Nec verò Privilegium de non Appellando liberam planè reddendi juris facultatem Principibus tribuit; quoniam certè denegatæ juſtitiæ querelam ad ſumma Imperii Tribunalia ferre litigantibus licet. Cætera, quibus nonnulli Electores à Principibus cæteris diſtinguunt, aut minutiora, aut controverſa, aut dudum abolita ſunt. Et hinc jam æſtimandum relinquo, an tanti ſint hæc diſcrimina, ut ipſa dignitatis ſpecie Electores Principeſque aut eorum Legati diſtingui poſſint.

Cap. XLIII.

An Electores Regibus æquales. Olim cæteris Principibus à Gallia in titulis æquati. Fraternitas *ipſis novè data & redemta, conceſſo Regi Galliæ* Majeſtatis *titulo. Olim ſoli ex Italis, & Germanis Archi-Dux Albertus, Dux Lotharingiæ, Dux Sabaudiæ, à Rege Chriſtianiſſimo Fratres appellati. Electorum Palatini & Bavari Legati in Gallia non recepti cum Charactere. Rex Sueciæ quoque à Gallo non Frater olim ſed Cognatus tantum appellabatur. Aucti hodie ſunt honores reſpectu Batavorum, Italorum, Electorum; iniquum ergo veterem ſtylum tantùm ſervari erga noſtros Principes.*

QUoniam tamen adduci ſolent actus quidam atque autoritates & exempla diſcriminum circa honores utriſque habitos, ea paucis diſcutere pretium operæ erit, & viciſſim oſtendere ſuperioribus temporibus nullum in eo genere inter Electores ac Principes diſcrimen fuiſſe notum. Primum

quòd

Digitized by Google

quòd ajunt *Electores Regibus æquiparari*; id an propriè dicatur, & an in Curia Romana (ubi Salæ Regiæ ac Ducalis ſupra notatum diſcrimen) aliiſque Aulis agnoſcatur, magna quæſtio eſt; præſertim cùm nondum impetrare potuerint Electorales quod Legatis Principum Italiæ dudum conceditur, ut ſe tegant coram Regibus; multo minus illud, quod ſoli Italorum Veneti in Gallia aſſecuti ſunt ut ſolenni pompa introëant. Nec valde movere debet, quod à Rege Galliæ nudius tertius *Fratres* appellati ſunt Electores ſeculares, præterquam enim quod hoc redemere, reddita *Majeſtatis* appellatione, (quam Regi Galliæ Fraternitatem non reddenti abnuere, etiam in Principum poteſtate eſt) conſiderari debet pacta inter Regem atque Electores quoſdam noviter inita minimè tertio præjudicium facere, neque ad rem prius inauditam, eſſentiale ſcilicet dignitatis diſcrimen, inter eos qui omni jure pares ſunt, faciendum trahi poſſe: Neque Reges atque Electores ſibi Principum jactura illinc Majeſtatem hinc Fraternitatem comparare poſſe. Ut vero novitas attentati diſcriminis appareat, operæ pretium eſt intueri, quid actum ſit ante turbatam Germaniæ pacem, hinc enim credo potiſſimùm forma negotiorum petenda eſt, in illis omnibus quibus Inſtrumentum Weſtphalicæ pacis non derogavit. Tantum autem abeſt ut in eo Inſtrumento plus aliquid datum ſit Electoribus quam ante habebant, ut contra potius illic concuſſa ſint Oligarchiæ novæ fundamenta, Capitulationis perpetuæ condendæ curâ ad Comitia Ordinum generalia tranſlatâ. Quod vero ante turbatam pacem Electores atque Principes pari apud exteros honore culti ſint, intelligemus manifeſtiſſimè ex Tomo III. Commentariorum ſive (ut hodie appellant) Memoriarum Villaregii ubi literæ exſtant plurimæ nomine Regis Ludovici XIII. anno 1620. ſcriptæ ad Principes Germaniæ, quas ſecum tulere Dux Engoliſmenſis, Marchio Bethunius, & Preauxius Legati Gallici ad conciliandum inter Ligiſtas atque Unioniſtas pacem miſſi. Ubi hæc verba extant, pag. 256. *Forme d'écrire par le Roy aux Potentats d'Italie & d'Allemagne: A tous les Prin-*

ces

ces d'Italie & d'Allemagne: Mon Couſin le Duc ou Comte de &c. Sauf au Duc de Savoye, l'Archi-Duc de Flandres & Duc de Lorraine, auxquels on met, mon Frere: ſur celles de l'Archi-Duc: à mon Frere l'Archiduc Albert d'Auſtriche; & à l'Infante: à ma Sœur la Princeſſe d'Eſpagne, Archiducheſſe d'Auſtriche. Subjiciuntur literæ ad Electores Principeſque complures, inter quas nullum apparet diſcrimen: Et pag. 259. *Aux Princes Unis & Villes: A Hauts, Puiſſans & Excellens Princes, les Electeurs & Princes du St Empire, nos Tres-chers Couſins; & les Eſtats & Villes du Saint Empire Unis & Alliez depreſent en la Ville de....* Regibus vero hoc modo, ut Regi Poloniæ aut Daniæ: *A Tres-haut, Tres-excellent & Tres-puiſſant Prince, Noſtre Tres-cher & Tres-aimé Frere & Couſin,* & ſubſcriptum: *Voſtre bon Frere & Couſin, Louys.* Notabile verò Regi Succiæ ibi tantùm ſcribi: *Tres-haut & Tres-excellent Prince, Noſtre Tres-cher & Tres-aimé Couſin, & Allié;* & ſubſcribi: *Voſtre bon Couſin & Allié, Louys.* Itaque tunc Regi Succiæ neque Fraternitas, neque Potentiſſimi titulus dabatur. Illud quoque notari poteſt, Principum literis Regem ſimpliciter ſubſcribere, *Louys*, nulla honoris præfatione; cùm Regibus ſubſcribat, *voſtre bon Frere Louys*, vel ſimile quiddam. Urbibus Imperii ſcribitur: *Tres-chers & bon Amis.* Ordinibus Fœderati Belgii: *A nos Tres-chers & bons amis, Alliez & Confederez les Eſtats Generaux des Provinces Unies des Pays-bas. La lettre ſe ferme, en grand, & depuis qu'ils ſont reconnus ſouverains, l'on a mis au bas: Voſtre bon Amy & Confederé.* Ubi illud noto, Venetis jam tum ſcriptum fuiſſe, *Tres-chers & Tres-grands Amis*, quod poſtea & Ordinibus Fœderatis conceſſum. Ita omnia paulatim crevêre, ut iniquum plane ſit erga ſolos Principes Germaniæ veteris ſtyli ruditatem ſervari; nam ſi quid uni indulgetur in hoc genere, cæteris proportione concedi debet, ne cuiquam fiat injuria. Ex his autem intelligitur, Electores nihilomagis honoratos illo tempore à Gallis, quam Principes Germaniæ quoſcunque, nec ab illis ullo modo ſeparatos, cumque anno 1616. Legati Electoris Palatini Comes Solmenſis & Ruſdorffius

dorffius Pariſiis ſeſe Ambaſciatores ferrent, & tegere vellent coram Rege, in conſpectum ejus non venêre. Eandem ob cauſam Groensfeldius & Curtius Legati Bavari, à Maximiliano Electore miſſi anno 1638. mutata perſona *Ablegatos* ſe ferre coacti ſunt, ut audiri poſſent; neque illis indultum quicquam, quod cæteris Germaniæ Principibus negaretur. Quod vero nuper Fraternitatem ſibi à Rege Chriſtianiſſimo paravere, id juri cæterorum præjudicare non poteſt, & æquitatis nunc ratio vult, ut præcipuis Germaniæ Principibus idem honor habeatur. Quemadmodum enim olim Rex Chriſtianiſſimus Regem Sueciæ cognatum appellabat tantùm, non verò fratrem, Danum verò & cognatum & fratrem; poſtea verò ubi Suecis è ſuo Septentrione progreſſis crebriora cum Gallis aliiſque populis commercia fuere, non gravatus eſt abolere diſcrimen, Suecis haud dubiè grave: ita de æquitate ejuſdem Regis ſperandum eſt, cæteros Principes qui nunc jus Legatos cum charactere mittendi, cæteraque id genus ſolemnia uſurpandi aliorum exemplo crebrius exercere decreverunt, quam antea ipſis in more poſitum erat; nulla iniqua & contumelioſa diſtinctione gravaturum eſſe. Nam ſi poſſeſſio atque uſus ſtyli veteris objici rectè poſſet, certè etiam Suecis valide oppoſitus fuiſſet. Neque refert, quòd Sueci Gallis utiliores, quam antea, eſſe cœperunt; præterquam enim, quod Gallis non parùm profuit Principum noſtrorum amicitia, quæ Henricum IV. in ſolio firmavit, poſtea Auſtriacæ Domus potentiam in ſe vertit, magnoque Germaniæ damno tempeſtatem in noſtra capita derivavit, quæ Gallis impendebat; hoc ſane miſſo, cogitandum eſt, hic non ejus quòd intereſt, ſed juris rationem haberi, niſi quendam honorum mercatum inſtitui probamus. Porrò ex ea quam ſupra exhibui forma vetere, qua Rex Galliæ ad Principes Germaniæ & Italiæ ſcribebat, intelligimus ſoli Duci Sabaudiæ, Duci Lothâringiæ, & Alberto Archiduci Auſtriæ adſcribi ſolitum fratris nomen. Alberto, inquam, nam ibidem pag. 337. Archiduci Leopoldo Archiepiſcopo Argentoratenſi, & Archiduci Carolo, non aliter ſcriptum eſt quàm cæteris Germaniæ Principibus.

cipibus. Cum vero Electores & nunc & olim Sabaudo ac Lotharingo prælati ſint, patet nihil ipſorum dignitati obfuiſſe quod fraternitas his potius, quàm ipſis à Rege Galliæ daretur: quare viciſſim quòd nuper Fraternitatem præ cæteris Germaniæ Principibus Gallo expreſſere, ad diſcrimen eſſentiale conſtituendum nec *prodeſſe* ipſis poteſt, niſi aſſerere malunt Regum Daniæ & Sueciæ diſcrimen, eſſentiale fuiſſe; quod illi, non huic, Fraternitas, ut audivimus, tribueretur.

Cap. XLIV.

Electorum prærogativam quidam ad Conventus Imperii reſtringunt; Controverſia eorum cum Burgundo. Ut Imperator ad Reges, ita ipſi ad alios Principes. Ordo Cæremonialis Romani. Diſcrimina menſæ. Titulaturæ in Imperio uſitatæ. Electorum ſuperlativus ut Regum; ſed nos facile concedemus, Electores ut Venetos, Regibus æquari, modo noſtri Principes Ducum Sereniſſimorum jure utantur, quod Italis, qui nihilo noſtris ſuperiores ſunt, conceditur.

Ex his jam intelleximus, ſub initium turbarum Germaniæ diſcrimen eſſentiale Suprematus inter Electores & Principes, nemini, ne quidem per ſomnium in mentem veniſſe, certè exteris fuiſſe incognitum atque neglectum. Imo Renatus Choppinus lib. *de Domanio Franciæ*, tit. 3. num. 13. putat dignitatis Electoralis Eminentiam propriè ad Comitia & Conventus Imperii pertinere, in aliis verò Chriſtiani orbis Conventibus non æque attendi, adeoque in Baſileenſi Concilio Johannem Germanum Epiſcopum Cabilonenſem Legatum Ducis Burgundiæ obtinuiſſe loci prærogativam adverſus Electores Germanicos, inſigni decreto Patrum Baſileenſium 26 Maii anno 1433. Addo ego in ipſis Germaniæ Comitiis tempore Friderici III. anno 1471. Caroli Audacis Legatos Burgundos, Electoralibus cedere nolentes, locum atque ſeſſionem tunc quidem extra ordinem obtinuiſſe; credo quod tunc nondum Collegium ſeparatum Electorale in Comitiis

mitiis cognoſceretur: nunc vero poſtquam Burgundus ſub Carolo V. inter Imperii Principes receptus eſt; ſedet in Collegio Principum inter Eccleſiaſticos; ſtatim poſt Auſtriacum ante Salisburgenſem Eccleſiaſticorum primum; adeóque Electoribus cedere videtur: at quia cedet, non ideo diſcrimen eſſentiale patietur, non magis quàm Principes Germaniæ præcipui, qui & ipſi ab Auſtriacis ac Burgundis loco tantùm, non verò natura dignitatis ſeparantur. Illud quidem verum eſt in ſolennibus Imperii Electores, velut præcipua aulæ officia obeuntes, à cæteris omnibus exquiſite diſtingui, ſed horum diſcriminum extra hujuſmodi actus ad Curiam Imperialem pertinentes ratio habita non eſt; nec magnopere refert, quod Imperatore paulò poſt Coronationem in publico cibum capiente, Electorum unuſquiſque ſeparatam habet menſam, Principes reliqui unam; nam præterquam quod hoc quoque ad Imperialis curiæ ſolennia pertinet, conſiderandum in libris cæremonialibus Romanis qualis eſt Chriſtophori Marcelli Archi-Epiſcopi Corcyrani ſimile quoddam reperiri diſcrimen inter Imperatorem & Reges cæteros. Nam peculiaris menſa Papæ tribuitur, alia Imperatori, cæteri Reges mixtim ſedent, hinc ergo illud ad ſummum ſequeretur, Principes Germaniæ tantùm eſſe infra Electores, quantùm infra Imperatorem Reges, quo admiſſo non magis Principum Legati ab Electoralibus quam Regii à Cæſareis diſtinguerentur. In univerſum conſtat in Curia Romana Electores cæteroſque Duces Sereniſſimos nullo, niſi ſedis, diſcrimine habitos, non natura honoris diſcretos. Adduxi ſupra loca quædam ex libro, cui titulus eſt *Maeſtro di Camera*, unde apparet duo tantum haberi genera Legatorum, Regios, & Ducales, niſi ergo Electorales obtinent, ut cum Venetis inter Regios habeantur, à cæteris ne diſtinguentur quidem: & ſi obtineant aliquando, bonis avibus; quod nobis non invitis fiet: non ideò à noſtris Legatis diſtinguerentur illis in rebus quas cæteris Ducibus Sereniſſimis jus Salæ Regiæ non habentibus concedi Italorum Principum exemplo conſtat. Et verò in Cæremoniali Paridis de Graſſis, quod Julii II.

lii II. Pontificis temporibus ſcriptum eſt, hic ponitur ordo Ducum: [*Dux Britanniæ, Dux Burgundiæ, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, Dux Auſtriæ, Dux Sabaudiæ, Dux Mediolani, Dux Venetiarum, Dux Bavariæ, Dux Lotharingiæ, Dux Januæ,* (ſeu Genuæ) *Dux Ferrariæ,* &c.] ubi notandum eſt Ducem Bavariæ præponi Duci Ferrariæ, qui nunc eſt Mutinenſis, quanquam eo tempore Dux Bavariæ nondum ad Electoralem dignitatem evectus eſſet. Notandum eſt etiam multos illic non nominatos, quos nominatis minimè cedere exploratum eſt, ac denique ſatis apparet, tunc ignotum fuiſſe inter Electores aut Venetos, & inter cæteros Duces Sereniſſimos, diſcrimen eſſentiale; & (ſi fides habenda eſt huic Paridi de Graſſis) Venetos tunc Regios honores nondum obtinuiſſe, quæ cum his, quæ ſupra diximus ex Abbate Juſtiniano de origine Veneti honoris, ſatis conſentiunt. Si quis porrò veterem Cancellariæ Germanicæ ſtylum conſulet, nullum aliud majus inter Electores Principeſque diſcrimen notabit, quam quod Principes appellarentur *Sereni & Clementes Domini,* Durchleuchtige/ Gnädige Herrn / Electores *Sereniſſimi & Clementiſſimi* Durchleuchtigſte und Gnädigſte / Imperator vero *omnium Sereniſſimus & omnium Clementiſſimus* Allerdurchleuchtigſter und Allergnädigſter. Elector *Principi* ſcribit Dienſtwilliger/ Princeps *Electori* Dienſtwilligſter. Multa alia hujuſmodi ſatis ſcrupuloſa in veteri ſtylo notari poſſunt, ut quod Epiſcopi ſe ſcribebant non *Dei gratia* ſed *miſeratione Dei*, non von Gottes Gnaden ſed von Gottes Verhängniß / item diſcrimen inter Unterthänige & Unterthänigſte / quæ tempus & ratio ſæpe abolevit. Imperator Electorem non minus quam alios nonnullos ex præcipuis Germaniæ Principibus, *Serenum* vocat, non *Sereniſſimum;* Durchleuchtigen / Hochgebohrnen Fürſten: & Electores atque Principes ſeſe invicem ſæpe *Sereniſſimos* appellant. Eccleſiaſtici Principes præſertim minores Germaniæ Electoribus, ac magnis Principibus tribuêre *Clementiam*, E. Gnaden/ ita conſtat Epiſcopum Wormatienſem ſcripſiſſe Electori Pala-

Palatino, Eichſtadienſem Duci Neoburgico; quare ne hîc quidem Electorum ac Præcipuorum Principum diſcrimen ullum. Olim Electoribus ſcribebatur à privatis *Veſtra Clementia Electoralis* E. Churfüſtlichen Gnaden / quemadmodum Principibus *Veſtra Clementia Principalis* E. Fürſtl. Gnaden. Hoc ſeculo Electores ſibi ſcribi voluere E. Churfürſtliche Durchleuchtigkeit *Veſtra Electoralis Serenitas*; favente ipſis Cæſare, qui potentiam eorum ſuis rebus conducere arbitrabatur. Sed hodie non tantum vulgo ſcribitur Principibus noſtris: *Veſtra Principalis Serenitas*, ſed & Cæſar ipſe præcipuis quibuſdam Germaniæ Principibus, prorſus quemadmodum Electoribus ſcribit, Durchleuchtiger Hochgebohrner Fürſt; atque ita Serenitatem Celſitudinemque conjungit. Papa Electores à Principibus titulorum appellatione non ſejungit, omnes enim ſine diſcrimine appellat, *nobiles viros*. Sed eſto Electoribus ſuperlativum, Principibus tantum poſitivum deberi, tunc nihil aliud ſequetur, quàm Electores magis accedere Regibus, at Principes noſtros Ducibus; nam ſupra notatum eſt Regibus ſcriptum eſſe *A tres haut & tres Excellent Prince*, at Ducibus Italiæ vel Germaniæ tantùm *à Haut & Excellent Prince*.

CAP XLV.

Oligarchia Electoralis ſub Ferdinando II. (Electorales tantum conventus, non vero Ordinum Comitia habente) fuit cœpta, ſed pace Weſtphalica, quæ perpetuam Capitulationem Ordinibus communicavit, ſubverſa. Quæ in Weſtphalico congreſſu acta, non imminuêre Principum dignitatem & jus Legationis. Nam ex Tractatu præliminari Hamburgenſi patet ab Ordinibus non fuiſſe mittendos in Weſtphaliam Legatos velut ad congreſſum exterorum: ſed Deputatos, velut ad Imperii conventum. Deputati *propriè nec* Legati *nec Ablegati ſunt, etſi Plenipotentiariis ſint pares. Nullum inter Electorum & Principum Miniſtros notatum diſcrimen in Præliminari Tractatu.*

SUpra dixi Electorales quoſdam Oligarchiam affectare cœpiſſe, ſub initia turbarum Germaniæ, & Ferdinandum

Secundum fautorem atque Ducem habuiſſe, qui de graviſſimis Imperii rebus, quas majores ad Ordines ſine controverſia retulerant, Electores conſulere cœpit primus, & pro Comitiis generalibus Ordinum, non niſi Electorales Conventus habuit, ubi jacta ſunt fundamenta meditatæ inæqualitatis quam in Tractatibus Pacis Weſtphalicæ Miniſtri Electorum acriter urſere. Sed ſucceſſus defuit, quod Regum intereſſet Imperium non tantum a Dominatu ſed & ab Oligarchia defendere, inſerta in Pacis tabulas mentione Capitulationis perpetuæ, quæ Oligarchicos valde uſſit. Itaque Legati Electorum Monaſterii, cùm rem attingere non poſſent, umbram captarunt, *Excellentiæ* appellationem affectantes, aliaſque majoratûs notas, quas illis Principum Miniſtri minimè conceſſere. Quoniam vero Electorales hodie maximè ad Weſtphalicos Tractatus provocant, ibique magnum aliquid lucrati ſibi videntur, operæ pretium erit rem paucis explicare. Nimirum interventu Regis Daniæ, Lubecæ atque Hamburgi diu actum erat inter Cæſareos & Gallo-Suedicos de modo atque forma Tractatuum Pacis generalis, tandemque prodiit anno 1641. Tractatus præliminaris Hamburgenſis, inter Conradum Luzovium Cæſareum, Claudium Memmium Gallicum & Johannem Salvium Suedicum Miniſtros, quo cautum eſt, ut congreſſus Legatorum haberetur in Urbibus Monaſterio atque Oſnabrugâ, ut Miniſtro Regis Daniæ traderentur literæ fidei publicæ ſeu Salvi Conductus; *Cæſaris quidem nomine*, pro Plenipotentiariis Regis Chriſtianiſſimi, Reſidente Suedico, Plenipotentiario Sereniſſimæ Duciſſæ Sabaudiæ filii ſui tutelam adminiſtrantis, pro Plenipotentiariis Ordinum generalium Fœderati Belgii, pro Deputatis Electoris Trevirenſis, pro Ducibus Brunſvicenſibus & Lunæburgenſibus aut eorum Deputatis, pro Principe Carolo Ludovico Palatino Rheni, ejuſque fratribus, aut eorum Deputatis; pro Deputatis Landgrafiæ Haſſiæ, pro Univerſis Imperii Ordinibus Galliæ Fœderatis & adhærentibus aut eorum Deputatis: contrà, *Coronarum* nomine, pro Plenipotentiariis Cæſareis, Hiſpanicis, eorum Fœderatis & adhærentibus, & pro Deputatis

putatis Bavaricis. Ubi annotanda videntur ſequentia: primum Ducissam Sabaudiæ (ejus enim mentio fit, non Ducis) antepoſitam Ordinibus Fœderatis, omnibuſque Electoribus & Principibus Imperii, quippe Sororem Regis Chriſtianiſſimi Ludovici XIII. ideóque haud dubiè curaſſe Memmium, ut adjiceretur honorifica Sereniſſimæ appellatio quæ in cæteris nuſpiam apparet: *deinde notandum* Miniſtros exterorum (inter quas & Duciſſa Sabaudiæ cenſenda erat) nominari *Plenipotentiarios*, Ordinum verò Imperii Miniſtros tantum *Deputatos*; haud dubiè duas ob *cauſas*; *priorem* quia nimirum Congreſſus ille in Imperio inſtituendus pro Conventu quodam Ordinum Imperii ſaltem, quoad ipſos, haberi poterat, cui exteri intervenirent, præſertim cum bellum in Imperio & Imperii cauſa maximè exarſiſſet; Miniſtri autem ad Conventus Ordinum, *Deputati* appellari ſolebant, ut notum eſt; *poſteriorem* verò, quia Miniſter Cæſareus qui ſolus cum Gallis Suediſque nemine Ordinum interveniente Hamburgi tractaverat, fortaſſe nullam cauſam videbat cur plenam Ordinibus poteſtatem tractandi, adeoque Plenipotentiarios mittendi aſſcriberet; præſertim cùm jus eorum tractandi cum exteris, Viennæ non ſatis tunc agnitum, & ſatis ingratum eſſet. Denique quod rei caput eſt, notandum, nullum planè inter Electorales & reliquorum Ordinum miniſtros fieri diſcrimen, ſed omnes communi nomine vocari *Deputatos*; quamquam tunc aula Cæſarea Electoribus ſatis faveret, & tum maximè tempus eſſet introducendi diſcriminis, præſertim cùm in cæteris accuratè loqui ſtudiſſent Tractatus hujus præliminaris autores, ut ex proximis annotationibus patet. Sed nimia attentati diſcriminis novitas, quam reliqui Ordines minimè laturi videbantur, Luzovium deterruiſſe credibile eſt, ne quid porrò in jura Ordinum tam alieno tempore auderet. Quod ſi ergo aliquod inter Legatos Electorum Principumque diſcrimen erat, id tum maximè apparere debebat; in ipſo ſcilicet tractationis veſtibulo, & præliminari conventione, quæ reliquo negotio modum ac formam dare debebat; quemadmodum

 hodie

hodie videmus Noviomagi controverſiam hanc non demum in ipſo tractationis progreſſu, ſed ſtatim ab initio cum de Salvis Conductibus (perinde ut tunc quoque Hamburgi fiebat) ageretur, erupiſſe. Pro certo itaque habendum eſt, cum Tractatus præliminares formam & modum dederint toti negotio ſequenti, & in illis Electorum aut Principum Miniſtri eodem loco ſint habiti, & Imperii Principes ſub fide publica hujus æqualitatis hiſce præliminaribus in Imperio publicatis innixa, ſuos Miniſtros Monaſterium aut Oſnabrugam miſerint, nullum in ipſo progreſſu ipſis, præſertim expreſſe contradicentibus, contra fidem ut ſic dicam initio datam, præjudicium creari potuiſſe, & , ſi quid contra actum, id nullius momenti fuiſſe.

Cap. XLVI.

In ipſo Congreſſu Weſtphalico occaſio Electoribus ad Excellentiam *poſtulandam præbita adventu Legati Veneti, cum quo ipſis vetus concertatio. Principes non ſuis Miniſtris Excellentiam poſtulabant, ſed Electoralibus negabant, velut rem in Imperii conventibus novam. Hic enim eſſe Conventum Imperii ajebant, cujus formulæ non ſint ob ſupervenientes exteros mutandæ. Miniſtros ſuos eſſe ad talem conventum Deputatos, non ad exteros Legatos vel Ablegatos. Itaque nolle ipſis dari* Excellentiam, *quippe Legatorum propriam, ſed tamen etiam nolle eos haberi Ablegatos, Legatis inferiores: quoniam Deputatus ab aliqua Provincia vel Principe Suprematum habentibus, ad conſtituendam in Conventu generali Rempublicam, non videtur inferior Legato ab eodem Suprematum habente ad exteros miſſo ad eandem Rempublicam repræſentandam. Tandem Principes in ſubſcriptione Pacis Weſtphalicæ intentum obtinuere, ut Electorum non minus ac ipſorum Miniſtri, eodem modo, ſubſcriberent. Controverſia Nuntii cum Miniſtro Auſtriaco. Principum Miniſtri viſitantes tantùm à capite Legationis Cæſa-*

reæ,

reæ, Electorales ſimul ab omnibus Legatis in domus ingreſſu excipiebantur. Hoc unum diſcrimen notatum & admiſſum.

PORRO cum poſtea bello inter Danos Suecoſque coorto, abrupta fuiſſet interpoſitio Regis Daniæ; & Reſpublica Veneta in Mediatoris officium ſucceſſiſſet; nova ecce cauſa Electorum ſtudium pro tuenda vel amplificanda dignitate excitavit. Vetus enim illis fuit cum Duce ac Republica Venetiarum concertatio, non utique rationum expers: nam ut ſupra audivimus ex Paridis de Graſſis Cæremoniali Romano, Julii II. Pontificis tempore compoſito, Electores Sacri Imperii olim Venetis anteponebantur; & Bavarus nondum Elector qui cedebat Electoribus, cum Venetis certabat, de quo infra pluribus: aliæ pro Electoribus rationes in Manuſcripto libello Danielis Weimanni Cancellarii quondam Clivienſis legi poſſunt. Hæc ergo Controverſia tunc quidem recruduit adventu Aloyſii Contareni Oratoris Veneti, qui cum recepto apud exteros more & *Excellentiæ* nomine appellari, & reliquis Legatorum cæremoniis atque prærogativis, tunc in Imperio fere incognitis uti deberet, ſaliva Electoralibus mota eſt, imò quodammodo impoſita neceſſitas, affectandi eoſdem planè honores, qui Venetis haberi ſolebant. Nec illis hac in re refragari poſſe videbantur Cæſar atque Coronæ, ne tantos Principes jure ſuo tot exemplis atque rationibus tuto ſpoliare, & infra Venetos dejicere crederentur. At vero cæterorum Imperii Principum atque Ordinum alia erat ratio, aliæ hypotheſes: hi enim quamquam eodem cum Venetis Suprematus ſive Serenitatis jure eſſent uſi, nec proinde qualitate ac natura dignitatis ab illis diſtinguerentur, tamen quia locum illis ferè ceſſiſſe credebantur, paucis exceptis ut Burgundo & Bavaro (ſed qui nunc Electoribus connumerabatur) præſentia Veneti Legati nihil movebantur. Conſiderabant enim hic proprie agitari Conventum Ordinum Imperii, cui etſi intervenirent exteri, nihil ideo ipſorum cauſa

ſa eſſe innovandum, neque à vetere ſolennium atque titulorum forma diſcedendum, non magis quàm cùm Legati exterorum in Comitiis aliiſque Imperii Conventibus atque actibus comparuiſſent: neque ea in re ullum ſibi Electores Principeſque creare præjudicium putabant, tametſi Miniſtri eorum *Legati* non appellarentur, nec novo atque in Imperii Congreſſibus inuſitato *Excellentiæ* titulo uterentur. Propriè enim eos neque eſſe Legatos neque Ablegatos ad exteros, ſed Deputatos ad aliquem Conventum Imperii in ipſo Imperio, qui quodammodo in Imperio Magiſtratum quendam ſibi delegatum atque functionem exercent, quemadmodum Senatores alicujus Regni; aut potius multo magis, quemadmodum Deputati Provinciæ cujuſque Fœderati Belgii aut Helvetici tredecemviratus ad Conventus generales miſſi: & tales fuiſſe Miniſtros ad Weſtphalicos tractatus miſſos, indicio eſſe videbatur nomen Deputatorum illis impoſitum in Tractatu præliminari quo à Legatis Plenipotentiariis exterorum diſtinguebantur; neque hinc ſequi majores minoreſve eſſe Legatos, quàm Deputatos, ſed hoc tantùm: functiones eſſe natura ſua planè differentes: cum Deputati potius quiddam magiſtratui ſive Commiſſario aut ſi mavis Senatori in Imperii Conventu ſive Senatu, quàm Legato ſimile habere videantur. Sanè Cæſareus Commiſſarius in Imperio etiam vocabatur *Deputatus*, & ſpeciatim ille ipſe Conradus à Luzow qui Hamburgenſem Tractatum præliminarem compoſuit, qui ibidem nominatur Cæſareus ad Circulum Inferioris Saxoniæ & ad Pacis præliminaria cum poteſtate Deputatus. Nec tamen ille ideò cuidam exterorum Legatorum ceſſiſſet, imò Memmius & Salvius ipſi ſine controverſia ceſſere. Et non video cur in aliqua Republica verbi gratia Belgica, minor eſſe debeat Deputatus Provinciæ unius, ut Hollandiæ, ad Conventum Ordinum Generalem, quàm Legatus ejus ad exteros. Nam ſi Legati repræſentant Rempublicam apud exteros, Deputati iſti repræſentant eam, imò quodammodo faciunt ſive conſtituunt domi: & illa Legatorum Belgii

Fœde-

Fœderati ad Tractatus Monaſterienſes ex ſingulis Provinciis ſumptorum multitudo, tantum imago quædam videri poterat magni Concilii domeſtici ex Deputatis Ordines generales conſtituentibus compoſiti. Unde intelligi poteſt Deputatos à Provinciis Suprematu gaudentibus ad ejuſmodi Conventus, in quibus quodammodo ſumma poteſtas Reipublicæ reſidet, miſſos, Legatis ex iiſdem Provinciis ab eodem Conventu ad exteros miſſis, quippe ipſos tantum repræſentantibus, majores videri; adeoque cum ſuis Legatis ſint majores, etiam majores eſſe Legatis exterorum quippe quibus ſuos Legatos qualitate dignitatis cedere nollent. Et hinc rectè à nupero de Legatis ſcriptore harum rerum egregiè perito*, improbatur, quod Ablegatis ſive Miniſtris minoribus exterorum, Deputati Ordinum Fœderatorum locum potiorem in ſuo Conventu noviter cedunt, præſertim cum Senatores Sueciæ *Excellentiæ* titulum ſibi aſſeruerint, & tamen in Senatu Sueciæ ſumma poteſtas non reſideat. Sed mittamus hæc, ac ponamus ſaltem (quod mihi rationibus poſitis inſiſtenti manifeſtum videtur) hujuſmodi Deputatos ad Imperii Conventus, ſaltem ab eo miſſos, qui Legatos cum plena poteſtate etiam ad exteros mittendi jus habet; quales ſunt præcipui Principes Imperii, non eſſe Legatis exterorum genere dignitatis inferiores; tunc ſibi conſtabit Principum ratiocinatio: nam nolebant ſuos Deputatos Monaſterii atque Oſnabrugæ Legatis exterorum videri minores, quippe qui Conventus Imperialis membra eſſent, cujus dignitas utique maxima eſt; nec tamen volebant eos uti exterorum appellationibus ac formulis; tum quod propriè non eſſent Legati, tum etiam quod non putarent æquum ac decorum in Conventu Imperii veterem formam exterorum ſupervenientium cauſa mutari. Hanc fuiſſe ratiocinationem Principum; non ſane contemnendam, ex eo apparet quod ſuis Miniſtris nunquam injunxere ut titulum *Excellentiæ* obtinere tentarent, ſed tantùm ut ne illum concederent Miniſtris Electoralibus velut rem novam atque in Imperii Conventibus inauditam, utque iis quæ ſecus fierent, interpoſita proteſtatione contra-

 dice-

Digitized by Google

dicerent. Cui ſententiæ firmiter inſtitere, neque vel minimum conceſſere, neque paſſi ſunt ut in ſubſcriptione tabularum Pacis ullum inter Electorales atque Principum Legatos diſcrimen compareret. Quod verò exteri Electoralibus Legatis conceſſere titulum Excellentiæ, aliaque quibus Principum Legati contradicebant, id mirum non eſt, cùm enim mallent Principes in Imperii Conventibus veterem retineri modum, quàm exterorum nos accommodari Formulis; ideò contra exteri ſuos mores apud nos introducere maluere: præſertim cùm negari non poſſet hos conſeſſus pro parte pro Conventu Imperii haberi poſſe, & pro alia parte pro Congreſſu exterorum: quo poſito, non erat abſurdum Miniſtros Electorales duplicem ſuſtinere perſonam, unam Deputatorum ad Conventum Imperii: alteram Legatorum ad Congreſſum Pacis generalis. Verum ſive ea in re rectè fecerint Electores, ſive ſine cauſa, ut Principes querebantur, receptam in Imperio formam exterorum intuitu mutaverint; conſtat, tamen quicquid tunc actum eſt, nullo modo juri Legationis Principum præjudicare, cum ſuos Miniſtros non Legatos (alioqui etiam poſtulaſſent *Excellentiam* cujus tamen affectatæ cauſa Electorales culpabant) neque Ablegatos (alioqui ſine difficultate Electoralibus atque exteris, ſeſe qualitate minore agnoviſſent *Excellentiamque* dediſſent) ſed ut dixi Deputatos ad quendam Imperii Conventum (quod & Tractatus præliminares innuere videbantur) adeoque ſeparatæ cujuſdam qualitatis, quæ tamen Legatis eos planè cedere vetaret, eſſe voluerunt: eaque ratione obtinuerunt, ut in ſubſcriptione, prorſus quemadmodum in Præliminaribus Tractatibus factum erat, Electorum pariter atque cæterorum Ordinum Miniſtri, non Legati Plenipotentiarii, ſed communi nomine Deputati, appellarentur unde adeò dici poteſt Principes ſub ipſius denique negotiationis exitum quod volebant, eviciſſe. Scilicet ſub finem Inſtrumenti pacis tam cum Gallis quam cum Suecis initæ hæc habentur verba: *in quorum omnium & ſingulorum fidem majuſque robur, tam Cæſarei quam Regii Legati, nomine*

mine verò omnium Electorum, Principum ac Statuum ad hunc actum ſpecialiter ab ipſis Deputati [perinde ac ſi ex Deputationibus extraordinariis aliqua hic interveniſſet] &c. *præſens Inſtrumentum manibus Sigilliſque propriis muniverunt*, &c. His poſitis nihil video quid in Tractatibus Weſtphalicis actum ſit, quod Principibus exemplo nocere poſſit, nam nec ipſi jure ſuo ceſſere, quia ibi neque Legatos neque Ablegatos habuere: nec controverſiæ vim ſatis illi exterorum percepiſſe videntur, qui Principum Miniſtros, quòd *Excellentia* non uterentur, Electoralibus dignitatis natura inferiores crediderunt, cum eos nec deſideraſſe conſtet rem novam & in Imperio incognitam, cujus uſum improbabant. Eaque in re conſiſtit maximè error diligentis alioquin Viri Victorii Siri, qui mihi ſua pleraque ad hos Tractatus pertinentia à Nuncio Apoſtolico ejuſve Secretariis habuiſſe videtur; ac proinde hoc loco deceptus eſt, non minus quam Nuntius ipſe, qui cum Comiti de Wolkenſtein (non ut alii, alius ex alio, appellant, Wolkenſtein) Deputato Auſtriaco locum potiorem apud ſe negaſſet, Comes ut par erat, indignatus, Nuntium amplius videre noluit, (quemadmodum nec Salisburgenſis) eique neceſſariæ rerum Germanicarum cognitionis defectum exprobravit; quem vero Nuntius maxime, ni fallor, detexit reſpondendo. Cum enim negaſſet ſe tam ignarum rerum Germanicarum, quin probè diſtinguere ſciret inter eos quibus jus Legati mittendi, & quibus non niſi Deputatos habere conveniret; tum verò ignarum ſeſe aut parum inſtructum aut certè valde negligentem maximè oſtendit. Mirum enim quantum errorum lateat in tam paucis verbis. An quiſquam unquam dubitavit de jure Archiducum Auſtriæ mittendi Legatos cum pleno charactere, aut de jure Ducum Burgundiæ, qui aliquando Electoribus habiti ſunt ſuperiores; & hos tamen duos in Conſeſſu Principum eſſe, & Wolckenſteinium ſingulatim Auſtriæ nomine adeſſe conſtabat. Et noſſe debebat Nuntius, Deputatos ut paulò ante oſtendi, à Legatis non gradu ſed genere ac natura muneris differre, eundem & Legatos & Deputatos mittere

Digitized by Google

tere poſſe; imò eoſdem ſimul eſſe poſſe Legatos ad congreſſum exterorum, & Deputatos ad Imperii Conventum: denique Deputatum hujuſmodi nihilo eſſe Legato quocunque inferiorem; cùm ipſe quodommodo Legatus ſit Principis ſui ad Conventum Imperii, & præterea (quod eſt amplius) ipſius Conventus, Rempublicam quodammodo gubernantis, pars ſit: ſed & introduci potuit ut Deputati Ordinum ad Comitia hodie Legati cenſerentur. Certè Plenipotentiarios haberi poſſe, & Gallicis Ratisbonam miſſis loco quidem, non tamen gradu dignitatis, ceſſiſſe, conſtat. An autem Gravellius (exempli cauſa) illic Legatus, an vero Ablegatus fuerit, excutere nihil attinet. Unum tantum diſcrimen annoto in Congreſſibus Weſtphalicis inter Electorum Principumque Miniſtros, à Principibus ipſis toleratum, quod ſcilicet Miniſtris Principum ad Cæſareos inviſentibus tantùm Princeps Legationis Cæſareæ eos in ipſo domus ingreſſu excipiebat, Collegis in loco ad audiendum ipſos deſtinato, manentibus, ſed Electorum Miniſtris obviam ibant omnes. Sueci tamen ea in re Electorum aut Principum Miniſtros non diſtinguebant. Sed hoc niſi fallor exigui momenti eſt, & ſi quod etiam majus diſcrimen fuiſſet obſervatum, nihil tamen, ut toties, dixi, nocere potuiſſet pleno juri Legationis Principum qui ſe illic *non Legatos ad exterorum Congreſſum, ſed Deputatos ad Imperii Conventum habere profitebantur*.

Cap.

CAP. XLVII.

Principum Mens circa diſcrimen Deputatorum ad Conventum & Legatorum ad congreſſum ex relationibus Miniſtri cujuſdam illius temporis docetur: Electorales initio poſtulabant Excellentiam *, non ut à ſingulis miſſi, ſed ut membra totius Collegii Electoralis. Bavarus rem maximè urſit. Rationes eorum. Moguntinus rogavit ut ſaltem in hoc Conventu concederetur* Excellentia*, exterorum intuitu; in aliis id ſine præjudicio fore. Sed fruſtra. A Principibus nihil Monaſterii conceſſum, quod eorum juri Legationis ſummo præjudicet.*

NE quis verò à me fingi putet hanc Principum mentem, operæ pretium erit verba ipſorum aut Miniſtrorum quos habebant adducere. Et quidem in Gravaminibus Politicis Statuum Euangelicorum anno 1645 Oſnabrugæ oblatis, quæ exſtant apud Londorpium, hæc verba habentur num. 4. **Die Herrn Chur-Fürſtlichen Abgeſandten haben auch bey itzigen anſehnlichen** Convent **und friedens** Tractaten **ein bißhero ungehörtes** Prædicatum Excellentiæ **von den Fürſtl. Abgeſandten** prætend**irt; allermaſſen nun ſolche Neuerungen den hohen Fürſtlichen Häuſern in Teutſchland zu nicht geringer Verkleinerung / auch den itzigen** Tractaten **wegen abgehender** Communication **zu ſchädlichen Auffenthalt gereichen / die Fürſten des Reichs auch ſolche Neuerungen und ungewöhnliche** Titulaturen **nimmermehr einreumen oder** attribuiren **werden / alſo wird inſtändig geſucht / ſolche Neuerungen und dahero erfolgende** Conſequentien **eins vor allemahl abzuſtellen.** Sed operæ pretium erit, illuſtrandæ hujus controverſiæ cauſa huc afferre, quæ à me aliquando ex Relationibus Miniſtri, magni cujuſdam Principis ad Tractatus Pacis Weſtphalicæ Deputati, excerpta ſunt. Ita ergo ille Oſnabruga 11 April. 1645. Domino ſuo perſcripſit: *Diſputatum eſſe inter Suecos Brandeburgicoſque*

que de titulis, *quòd Brandeburgici velut totius Collegii Electoralis Deputati* Excellentiam *poſtularent*, *quam Sueci velut à Brandeburgico Electore pendentibus tribuere nollent*; *tandem inter eos conventum*, *ut Brandeburgici Suecos appellarent* Legatos Regios Königliche Geſandten / *viciſſim Sueci* ipſos Ablegatos Brandeburgicos Brandenburgiſche Abgeſandten/ *ambo* Excellentia *abſtinerent*. Hæc Miniſter ille. In quibus notari poteſt pacti hujus irregularitas, nam ſi Ablegati tantum erant Brandeburgici, cur Excellentiam Regiis Legatis dare verebantur, niſi malumus Abgeſandten vertere non Ablegatos ſed Deputatos, eo ſenſu quem paulò ante explicui: & hoc modo tunc Brandeburgici in Principum ſententiam paulò ante explicatam conceſſerant. Notari etiam poteſt; initio Electorales Miniſtros non ſibi ſingulis, ſed totius Collegii Electoralis nomine tantùm *Excellentiam* poſtulaſſe, quanquam fiducia poſtea creverit ſucceſſu: item notari debet, inter Suecos & Brandeburgicos Oſnabrugæ tunc conveniſſe, ut ambo *Excellentia* abſtinerent, & hoc ſcilicet illud erat quod volebant Principes: Monaſterii quoque primarius Miniſter Bavarus Gallis initio *Excellentiam* non dabat, ſed loquebatur illis in perſona tertia, idemque viciſſim faciebant Galli, exempli cauſa: *Dominus Baro dixit*, &c. Idem quem dixi Miniſter 25 April 1645 ſcripſit: *Electores etiam à Principum Miniſtris nova ſibi concedi volunt* Excellentiæ*que titulum poſtulant*, quod rectè fieri Moguntinus Meklenburgico multis ratiunculis perſuadere conatus eſt; qui cum cæteris contulit. Brunſvicenſis Calenbergicus dixit, ſe *nihil innovaturum*; *ſed illis ipſis titulis uſurum*, *quibus Electorales in ipſis Conventibus Electoralibus Mulhuſino* anno 1627. & Noribergenſi 1640 *appellaſſet*. *Suorum Principum familiam antiquiſſimam eſſe ac ſemper habitam* Sereniſſimam; *Dominum ſuum ab Imperatoribus ac Regibus deſcendere*, *majores ejus ab* 800 *annis* Principes fuiſſe. Reſpondiſſe Moguntinum hæc à Bavaris Legatis potiſſimum urgeri. Tum vero Meklenburgicus liberè dixit, *Familiam Meklenburgicam nihilo Bavarica inferiorem*

Digitized by Google

rem eſſe, imò à Regibus deſcendere. Idem Calenbergicus ſuaſerat Brandenburgicis, ut ne quid præter morem ac rationem tentarent, qui tunc acquieſcere ſunt viſi. *Relatio de* 23 *Maii hæc habet* [Magdeburgici nuper venientes conſilium meum petiere; reſpondi, mihi *Excellentiæ* peſſimam videri conſequentiam; me à Domino meo ſuper hoc negotio licet non inſtructum, ſatis tamen meopte Marte judicare nihil tale eum laturum. Diu me Imperii Conventibus interfuiſſe, ſatiſque didiciſſe videri titulaturæ tricas, non hodie primum novas formulas ſequi velle. Cæterum ipſos Magdeburgicos à filio Electoris miſſos rectè facturos ſi defectum mandati allegarent, ne vel dominum, vel ejus patrem offenderent, neque præjudicium cæteris crearent pernicioſo exemplo: ſe Brandeburgicos viſitantem veterem morem ſecutum: ſi Moguntini his non contenti eſſent, à ſe ad Auream Bullam remiſſum iri.] *Relatio de* 30 *Maii.* [Brandeburgici mihi retulere, Krebſium Moguntinum *Excellentiæ* apud ipſos rurſus meminiſſe, & quæſiviſſe, an non obtineri ſaltem poſſet à Principibus, ut vel in hoc tractatu indulgeretur aliquid Electoribus, exterorum cauſa, quod in cæteris Imperii Conventibus citra præjudicium foret. Reſpondi, me valde dolere vicem patriæ, cujus ſalus negligatur ac retardetur, dum interea illi quibus potiſſimum ejus incolumitas curæ eſſe deberet, his nugis ſeſe recreent & inter dilaceratæ Germaniæ miſerabiles gemitus novis titulis exultent: nolle me Principem meum in hoc Europæ theatro contumelia affici; & ſi monitis locus ſit, monere ut Electorales abſtineant iniquis novitatibus, alioqui Camarinam moturos. Pleriſque Principum Legatis abſolutè interdictum eſſe ne quid in hoc genere concederent. Magdeburgicos defectum mandati allegantes 28 die hujus menſis ad Moguntinos miſiſſe; Moguntinos retuliſſe, ſe nec viſitare, nec viſitationem accipere poſſe, niſi communicato cum cæteris Electoralibus Conſilio *Excellentiæ* cauſa.] Addidere Moguntini Schedam, qua rationes eorum potiſſimæ continentur pro *Excellentia.* Omnis earum vis huc redit: Splendorem atque dignitatem Impe-

Imperii conſiſtere in Electoribus, cæteri proceres, ibunt obſcuri ſola ſub nocte per umbras. Ipſis Magdeburgicis viſum, latere majus aliquid ſub *Excellentia*, & hoc velut præludio patientiam Principum tentari. Sequuntur rationes à Moguntinis communicatæ Magdeburgicis. 1. Imperatorem mandaſſe ſuis Deputatis, ut primario Electorali Miniſtro *Excellentiæ* titulum darent, itaque argumento à majori ad minus ducto non habere Principes cur reſiſtant. 2. Idem facere exteros. 3. Quod in honorem Imperii vergat, ſplendore Electorum in Principes quoque ac cæteros proceres reflexo. 4. Verendum ne tergiverſantibus Principibus exteri quoque pedem referant, & ab optima erga Imperium voluntate divertantur. 5. Magno præjudicio fore toti Imperio omnibuſque Ordinibus, ſi Veneti *Excellentiam* haberent, non Electorales, qui tamen omni jure ante Venetos ſint habendi. 7. Sperandum itaque Germanos Germanorum potius dignitati velificaturos. 8. Denique nihil ex hoc titulo Electoribus novi accedere poſſe, quod Principibus ſuſpectum eſſe debeat. Sed hæ rationes parum movebant Principes, quia negabant ſe Electorales Miniſtros habere pro Legatis ad exteros, ſed pro Deputatis ad Imperii Conventum, itaque nihil ad ipſos pertinere Venetos; nec Cæſarem Principibus creare præjudicium poſſe, quicquid Miniſtris ſuis mandaverit; & ſatis apparere, quòd Electores nova diſcrimina paulatim moliantur, tametſi quod nunc fieret, impoſterum præjudicio eſſe non debere teſtarentur. Imperii autem dignitatem atque Majeſtatem, ut rectiſſime dixiſſet olim Maximilianus I. Imperator, non tantum in Imperatore ſolo, multo minus in Electoribus, ſed & in Ordinibus ſitam eſſe. Hæc atque his ſimilia tunc utrinque jactabantur; ex quibus intelligitur, tunc inter Electorum Principumque Miniſtros tantùm de *Excellentia* fuiſſe certatum, nec proinde dubitandum eſſe, quin hi apud illos, cum viſerent, ſuperiorem habuerint locum: cætera enim omnia recepto in Conventibus Imperii more gerebantur, alioqui Principes haud dubiè queſti fuiſſent. Hinc etiam

Digitized by Google

etiam intelligitur, *Electorales obtuliſſe, ut ſaltem in hoc Conventu ipſis concederetur* Excellentia, *nullo impoſterum præjudicio, nam in aliis Conventibus Imperii veteres titulos formulaſque retentum iri*; denique Electorales *Excellentiam* ſibi non ut miſſis à ſingulis Electoribus, ſed ut Collegii Electoralis membris poſtulaſſe, velut ad Imperii ſplendorem pertinentem. Principes autem declaraſſe ſuos Miniſtros eſſe Deputatos ad Conventum Imperii, nec alios eſſe Miniſtros Electorales, adeoque ſe nihil innovatum velle, neque cæremoniarum exteris uſitatarum in Conventu Ordinum Imperii rationem habendam eſſe. Itaque concludo, nihil actum eſſe Monaſterii quod Principibus præjudicare poſſit, quoniam ſecundum normam in Tractatibus præliminaribus Hamburgenſibus præſcriptam, non niſi Deputatos ad Conventus Imperii miſere, qui Oſnabrugæ ac Monaſterii celebrabatur, illuc Euangelicis Statibus, huc Catholicis coëuntibus. Deputati autem iſti veteri Cæremoniali in Imperii Conventibus uſitato inſtitêre, & Electoribus, Legatos ſe ad exteros ferentibus novaque in Conventu molientibus contradixere. Quòd autem Legatorum titulis ac formulis uſi non ſunt, cùm neque Legati neque Ablegati eſſent (ut explicui) nihil aut Electoribus conceſſerunt, aut juri Legationis Dominorum detraxerunt: denique ſub finem negotii viciſſe viſi ſunt, atque illud tandem obtinuerunt ut Electorales cedentes, in ſubſcriptione, prorſus ut in Præliminaribus Tractatibus, eodem cum ipſis jure cenſerentur, omneſque communi nomine, modo Deputati, modò Legati Plenipotentiarii (vide infra Cap. 60. hujus num. 3.) appellarentur. Quare etiam pax propriè non niſi inter Imperatorem & Imperium ab una, & Coronas ab altera parte inita eſt, & Electorum pariter atque Principum Miniſtri, non ut contrahentes per ſe ac ſigillatim (quemadmodum Noviomagi à quibuſdam fiet) nec proinde ut Plenipotentiarii Legati vel Ablegati, ſed ut Deputati ad Imperii contrahentis Conventum, intervenere, quemadmodum ex ipſis tabulis Pacis patet, quarum initio
non

non aliorum contrahentium fit mentio quàm Miniſtrorum Cæſaris & Coronarum; quanquam ſub finem etiam Ordinum Miniſtri, ut in aliquo Imperii Receſſu fieri ſolet, ſignaverint: quæ quiſquis intelliget, facile agnoſcet, nihil actum eſſe Monaſterii cujus Principes pœniteat, neque exemplo Deputatorum ab ipſis ad Conventus Imperii miſſorum contra Legatos eorundem ad congreſſum exterorum deſtinatos abutetur. Tametſi, ut ſupra dixi, non ſint hi Deputati Plenipotentiariis inferiores & hodie meritò ſimul pro Plenipotentiariis habeantur.

Cap. XLVIII.

In Comitiis 1653. remiſſius egere Electorales præter Bavaros. Cum Principales eodem ſe titulo appellent (Dilectio Veſtra) multo magis mandatarii ſe ſimili titulo appellare debent. In Deputatione Francofurtenſi Anno 1655. multo minus obtinuere Electorales; cum ipſi inter ſe litigarent, an non Excellentia *illis tantum competeret primariis, qui eſſent Comites vel Barones. Nihil à Cæſareis impetravere. In ſubſcriptione fœderis Rhenani etiam Principum Miniſtri ſignavere, ſumta qualitate Legatorum, etſi id ægrè ferrent Electorales.*

CONclusâ jam Pace Weſtphalica, in aliis poſtea Imperii Conventibus eadem controverſia recruduit; Electoralibus tamen Miniſtris nonnihil, ut apparuit, de fervore remittentibus. Nam cùm Monaſterii atque Oſnabrugæ omnes, exceptis Saxonicis, *Excellentiam* ſibi acriter poſtularent, contra in Comitiis Ratisbonenſibus anni 1653 & 1654. omnes remiſſius egere, Bavaris tantùm exceptis: cum viderent, alioqui conſilia conferri non poſſe de Republica, omneſque congreſſus vel impediri, vel difficiles reddi: & homines judicarent; quando mutua inter Electores & Principes ſit ſalutatio, E. Liebde, incivile eſſe, (ut vir quidam doctus in Lucerna Imperii ait,) *à Mandatariis plus prætendi quam Prin-*

*Principalibus competit; (qui addit:) inde eſſe quod compellatio hæc nova (*Excellentiæ*) in Imperii Conventibus intermittatur.* In iiſdem Comitiis cum Elector quidam Electorum atque Principum Legatos tecto capite audiret, alii ſe viciſſim texêre, alii venire recuſarunt, quæ res fecit ut Elector tandem hæc inuſitata omiſerit. Finitis porro Comitiis ſecuta eſt Deputatio Francofurtenſis, anno 1655. in qua ſub initium Conventus controverſia de *Excellentiâ* rurſus agitari cœpit, minore tamen Electoralium ſucceſſu, quàm antea unquam. Nam cum duo Comites Furſtenbergii, alter Colonienſis, alter Bavaricus Miniſter Deputatus, à Cæſareis Deputatis Epiſcopo Wormatienſi, Comite Wolkenſteinio, & Cranio *Excellentiam* ſibi dari vellent, repulſam paſſi ſunt. Volmarus verò qui inter Principes Directorium exercebat, velut Legatus Archi-Ducis Auſtriæ, negavit ullum exemplo ſuo, Principum collegio præjudicium creatum iri. Hoc amplius nec ipſis Electoralibus conveniebat inter ſe, nam Saxones veteri uſui inſiſtentes *Excellentiam* à nemine exigebant; præterea hactenus primarii Electorales (hi enim ſoli *Excellentiam* ſibi vendicabant) fuerant Comites aut Barones; tunc vero Portmannus Deputatus Brandeburgicus & Hammius Palatinus, primarii & ipſi, vel certè nullum alium ante ſe habentes, eodem jure uti volebant quo cæteri: quod duo illi Comites minimè probabant. Atque ita *Excellentia* illa Deputatorum Electoralium ſic ſatis adhuc incerta fluctuabat. Nec poſtea in ullo Imperii Conventu confirmatior reddita eſt, quemadmodum noviſſima Comitia teſtari poſſunt. Denique cùm concederetur fœdus quod *Rhenanum* vocant, & quidam vellent diſtinctè nominari *Legatos* ac *Deputatos*, quaſi prius nomen Electorum, poſterius Principum Miniſtris conveniret, ſurgentes quorundam Principum Miniſtri evicêre, ut omnes ſine diſcrimine Legati appellarentur, aſſentientibus, qui aderant Coronarum Miniſtris.

Digitized by Google

Cap XLIX.

In ſolennibus Imperialis Curiæ actibus vel ſeſſionibus ſeparantur Collegia: & Electores eorumve Legati ſeparatim, Principes eorumque Legati etiam ſeparatim habentur. Et hoc modo contingit Electorum Legatos ſedere ante Principes ipſos, quia Collegium unum præcedit alterum. Secus eſt ſi extra Collegii corpus ſpectentur. Et hinc fit, ut cum equitatur ſecundum paria, etiam Legatus Electoris equitet ſupra alium Electorem in pari inferiori poſitum. Et ſic interpretandæ Capitulationes. Legati Regii etiam ipſis Electoribus controverſiam movent in loco tertio, quibus tamen etiam Principes non cedunt domi. De menſa Electoris ſeparata à Principibus apud Imperatorem, ut Imperatoris ſeparata à Regibus apud Papam. In Comitiis 1641. placuit ut Ordines Imperii adſcriberent Regibus ſimul dignitatem & Majeſtatem Regiam, illam nomine Electorum & Principum, hanc nomine Urbium. Elector Palatinus ceſſit Cardinali Richelio in domo Cardinalis. Legatus Regius ante Electricem aliquando in loco tertio collocatus. Elector Saxoniæ cuidam à Gallia ſine charactere miſſo ceſſit in menſa ſua. Rex Daniæ aliquando Legato Cæſareo & Gallo, Florentinus Legato Hiſpano: Papa Archiepiſcopo Moguntino in ejus Diœceſi. Talia confuſa ac ſæpe arbitraria.

QUoniam verò video nonnullos ad ſtabiliendum Electoralium præeminentiam àbuti more Imperii, ubi Legati Electorales, in ſolennibus actibus Dominorum locum tenent, ac ne Principibus quidem præſentibus cedunt, ideò paucis oſtendendum eſt, quam nihil inde duci poſſit in rem præſentem: quanquam & ſupra nonnulla huc pertinentia attigerimus. Primum controverſiæ hujus Exemplum à Caroli V. Coronatione Aquiſgrani 1520. celebrata repe-

repetitur. Cùm enim Elector Saxoniæ ob infirmitatem Coloniæ ſubſtitiſſet, à Johanne Clivenſium Duce 400 equitum manu ſtipato, Legatis ejus de ordine equitandi controverſia mota legitur, ita ut pompam iſtam, qua Germània non viderat illuſtriorem, nox interpellaverit, ut ait Sleidanus; ubi rectè notatum eſt à Bertramo in libro *de Comitiis*; & poſt ipſum Limnæo, fundamento caruiſſe Clivenſis prætenſionem. Legati quippe Electorum, ut maximè poſt cæteros præſentes locentur Electores, non tamen publicis in actibus aliis Principibus, qui & ipſi adſunt, poſthabentur: per publicos autem actus intelligit, ſolennes, ut ſubjecta materia poſtulat, qualis erat ſcilicet Inauguratio Caroli V. Ratio hujus concluſionis manifeſta eſt, quia ſeparatim equitant aut ſedent Electores eorumque Legati, ſeparatim & Principes aut Legati Principum. Itaque in omnibus actibus ubi collegialiter ſive curiatim comparetur, nulla inter Legatos Electorum, ac Principes controverſia naſci jure poteſt. At vero extra illos actus ſolennes, & ut ita dicam Collegiales, rideretur profectò Legatus Electoralis qui magno Principi, quam Cæſar ac Reges colunt, quem Electores ut æqualem ſuſpiciunt, controverſiam moveret. Hic mirum eſſe non debet, in Collegio Electorali præſentem Electorem ſedere ante aliorum Electorum Legatos, & præſentem Principem ante Legatos aliorum Principum, quemadmodum in Comitiis anni 1641. & 1654. non verò ideò principem ante Legatos Electorales quippe in alio Collegio intervenientes. Notandum tamen Auſtriacum, Burgundum, & Salisburgenſem Legatos nihilominus, in ſcamno Eccleſiaſticorum Principum ſedere ante alios Epiſcopos præſentes, Directorii ſcilicet intuitu, de quo Auſtriacus & Salisburgenſis (inter quos Burgundus medius ſedet) alternant. Sed hæc omnia intelliguntur ut dixi de ſolenni Comparitione aut Seſſione, non verò ad alios actus extenduntur. Unde Autor Der Grundfeſte: Solches verſtehe ſich nicht weiter als auff die Seſſion in Reichsfürſten Raht/ ſintemahl bey andern Begebenheiten es ſey auff den Reichstagen oder ſonſten ein Fürſt in Perſohn itzter-

meldten eben ſo wenig alß den Churfürſtlichen Geſandten die præcedentz verſtattet. Porrò quod dixi de Collegiis non permiſcendis, adeo verum eſt, ut etiam in ipſo Collegio Electorali placuerit paria Electorum binorum junctim equitantium non eſſe permiſcenda. Nimirum cum in ſolenni Pompa equitant circa Imperatorem, inſigniaque officii non geſtant, hoc placuit ſchema

	Colon.	Saxo	Palatin.
R. Bohem.	Imperator.	Trevir.	
	Mogunt.	Bavarus	Brandeb.

Quod ſi abſentis Legatus adiit, cæteris loco non motis, ſemper in pari ſuo Siniſterior erit. Ut, ſi ponamus Saxonem ipſum adeſſe, Bavari Legatum tantum, ſchema erit:

	Colon.	Bavari Legatus	Palatin.
R. Bohem.	Imperator.	Trevir.	
	Mogunt.	Saxo	Brandeb.

Atque ita Bavari Legatus locum habebit ſupra Brandeburgicum & Palatinum; quippe Cæſari propior, at infra Saxonem quippe Siniſterior; ſi verò inſignia officii geſtanda ſint, tunc munere fungetur non Legatus, ſed Imperii Subofficialis, ut, verbi gratia, loco Bavari *Dapifer Waldburg*, isque eodem planè loco quo ipſe Elector, ſi adeſſet. Hinc ergo intelligitur à ſolennibus functionibus argumentum nullum duci debere ad ea de quibus nobis quæſtio eſt. Itaque etiam Capitulationes Ferdinandéam ac Leopoldinam, de ejuſmodi ſolennibus Curiæ actibus interpretari oportet; niſi malimus dicere Electores rem poſtulâſſe ridiculam, ut Principes magni Electoralibus cedant Legatis, qui tamen ne Regiis quidem cedunt in domo ſua, nedum in alieno. At verò, inquies, Legati Regii præcedere contendunt Principes. Reſpondeo, tandem ab ipſis controverſiam moveri Electoribus, nam ſupra oſtendi Nuntium & Legatum Anglicum pompa ſolenni Inaugurationis Caroli V. abſtinuiſſe, quod cedere nollent Electoribus & eandem Francofurti nuper mentem fuiſſe Nuntio Apoſtolico & Legato Hiſpanico cum Leopoldus coronaretur, oſtendi ſupra cap. 8. ex relatio-

ne

ne Galeacii Gualdi, quam ſatis patet ex ipſius Nuntii aut familiarum commentariis ſumptam eſſe. Itaque ne hac quidem in parte habent Electores, quo à præcipuis Imperii Principibus diſtinguantur. Sunt qui diſcrimen Eſſentiale inter Electores & Principes ex eo ſumi poſſe putant, quod illi ſeparatas habent menſas, cum Imperator recens coronatus in publico cibum ſollenniter capit; hi vero mixti ſedent. Sed præterquam quòd iſta ad pompam pertinent, cui Electores ratione Officiorum interveniunt, neque extra illum actum porriguntur, ſciendum eſt, etiam in Cæremoniali Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrani ita Reges ab Imperatore diſtingui apud Papam in publico cibum capientem, ut Papa & Imperator ſuam quiſque habeant menſam, cæteri Reges uni menſæ mixtim aſſideant, *en foule.* Unde hoc ſaltem ſequeretur; non magis Principes diſtingui ab Electoribus, quam ab Imperatore Reges. Sunt qui Electores & Principes in eo quondam diſcretos putant, quod illi Regibus dignitatem Regiam tantùm aſcriberent, hi verò Majeſtatem; ſed hoc falſum eſſe, patet ex eo quod in Comitiis Ratisbonenſibus anni 1641. cùm de literarum, Regibus Galliæ & Hiſpaniæ ſcribendarum forma deliberaretur, viſum eſt, ſimul ſcribere: *Regiam Dignitatem & Majeſtatem*, illam nomine Electorum & Principum, hanc nomine Urbium Imperialium, ut ex Actis publicis patet. Quidam aliud diſcrimen in eo eſſe ſitum putant, quod Electores Legatis Regiis ne domi quidem ſuæ cedunt, quod tamen faciunt Principes. Sed hoc quoque verum non eſt. Nam Bavarum nondum Electorem & Neoburgicum hoc minimè feciſſe conſtat, ut infra dicam; & contra autor Collectaneorum *de Legatis* refert, Electorem Saxoniæ aliquando cuidam à Galliæ Rege ad ipſum ſine ullo charactere miſſo primum menſæ ſuæ locum dediſſe; idem narrat in nuptiis Principis Daniæ & filiæ Electoris Saxoniæ Electricem collocatam infra Legatos Cæſareum & Gallicum, cum tamen in hujuſmodi negotiis plus etiam honoris fœminis quam viris haberi poſtulet urbanitas. Nimirum apud multos locus potior

 quem

quem quis alteri domi ſuæ concedit potius ad civilitatis arbitrium quàm regulas cæremoniales pertinere viſus eſt. Unde ſupra cap. 34. adduxi exemplum Magni Ducis Hetruriæ, qui Legato cuidam Hiſpanico Romam deſtinato etiam recuſanti locum ſuperiorem dedit, quod alioqui fieri non ſolet. Sed quod Elector Palatinus Cardinali Richelio in Domo ipſius Cardinalis ceſſiſſe dicitur id tanto magis animadvertendum, quod tunc recenti injuria affectus à Gallis, non haberet cur illis multum deferret. Et certè quiſquis in re cæremoniali exempla colliget cuncta fere incerta ac fluctuantia deprehendet, uſque adeo ut Abbas Urſpergenſis memoret ad annum 1050. Papam ipſum Archiepiſcopo Moguntino in ſua Diœceſi poſt multam contentionem ceſſiſſe, ratione motum quæ planè hodiernis ſententiis (nam ſæpe etiam inferioribus in domo noſtra cedimus,) contraria eſt; quanquam id à Baronio vehementer improbetur. Quoniam ergo hodie in ea tempora incidimus, in quibus omnia ad vivum reſecantur; ratione, non exemplis veteribus, pugnantibus, & ſæpe abſurdis, utendum eſt ad conſtituendos cuique honores; ſin minus, nunquam pugnarum ac contentionum finis erit, donec cuncta ad modum naturæ conſentaneum reducantur. Cum ergo ſupra oſtenderimus Electores pariter & præcipuos Imperii Principes in eadem eſſe cauſa, quoad libertatem ac potentiam, nec niſi functionibus quibuſdam ad intrinſeca Imperii negotia pertinentibus differre; conſequens eſt, ut nec dignitate atque honoribus, qui Suprematum habentibus, aut eorum Legatis tribui ſolent, ſeparentur.

Digitized by Google

CAP. L.

Poſt exempla Electorum ſequuntur Exempla Principum Italiæ *quæ æquè nobis proſunt.* Veneti *honores Regios ſerò obtinuere: olim Electoribus, imò & quibuſdam Ducibus ceſſere, cum Sabaudo, & Bavaro nondum Electore certavere.* Excellentia *Legatis Venetis à Cæſareis & Hiſpanis diu negata, Monaſterii demum ceſſit. Excellentiæ titulo Legatus ejus uſus inter primos. Origo tituli* Excellentiæ *quoad Legatos. Monaſterii à Nuntio, Cæſareis, & Hiſpanis negatus Sabaudis; à Gallis nihilominus conceſſus*, Cæſaris ſententia non expectata. *De Regia Celſitudine Sabaudi. Cedit Electoribus. Ejus Legatus ſe tegit coram Rege. Non recipitur ea qua Venetus pompa. Sabaudus* Frater *à Gallo olim jam appellatus. Hodie ejus Legati* Excellentiam *ubique habent.* Florentinus *æqualis Sabaudo, ut &* Mantuanus, *cujus Legato etiam Monaſterii à Cæſareis & Nuntio Excellentia negata, à Gallis nihilominus conceſſa: & hodie ubique.* Parmenſis & Mutinenſis *eadem ratio. Horum omnium Legati ſe hodie coram Regibus tegunt, noviſſimè venientes ab aliis Legatis viſitantur, & viſitantes potiorem locum habent.*

QUoniam vero duobus potiſſimum exemplis hodiernis uſuros nos diximus, Electorum Imperii & Principum Italiæ; & quod ad Electores attinet, planum fecimus, legitimum inde argumentum à nobis peti: ſupereſt ut *exemplo* quoque *Principum Italiæ* inſiſtamus, idque tanto efficacius quanto minus apparet, non dicam ratio ſed in pleriſque ne color quidem diſcriminis ullus. Itali Principes ſunt Dux Sabaudiæ, Magnus Dux Florentiæ, Dux Mantuæ, Dux Mutinæ, Dux Parmæ; nam Mediolani Ducatum Hiſpanus tenet, Ferrariam Papa ſibi vindicavit parte ditionis Mutinenſi relicta. Memorabantur olim Dux Venetiarum & Dux Genuæ. Nam & ex Cæremoniali Romano conſtat, Ducis non Reipublicæ factam mentionem.

nem. Et de *Venetis* jam aliquoties diximus, ſuperiore demum ſeculo eos obtinuiſſe honorem Salæ Regiæ in aula Romana, cum antea eodem cum cæteris Ducibus jure uterentur. Ex eo tempore effecere in Gallia & alibi paſſim, ut Legati Veneti à Legatis Coronatorum Capitum non diſcernantur, quod ſatis apparet ex libro inſcripto *Il Maeſtro di Camera* quem ſupra produximus. Electoribus olim poſtpoſitos Venetos, imo & Burgundiæ, Sabaudiæ ac Mediolani Duci, patet ex *Cæremoniali* Paridis de Graſſis, loco ſupra cap. 44. adducto; ſed & Bavari nondum Electoris Legati controverſiam loci Venetis movere Tridenti. Hodie Sabaudius cedit Venetis, Electores non cedunt. Veneti pro more Italorum perpetuo amplificandis honoribus invigilantes anno 1636, Decretum Cæſaris elicuerant, quo Legatis eorum locus ante Electorales dabatur; ſed huic poſtea in Capitulatione Leopoldina nominatim eſt derogatum. Romæ & in Gallia Veneti & Regii Legati nullo diſcrimine habentur, qui honor nec Sabaudis nec Florentinis, nec Genuenſibus habitus. In Aula Cæſarea & Hiſpanica variatum, prout Venetis gratificari aut ægrè facere præſenti rerum ſtatui congruentius viſum. Comes Ognatius Legatus Hiſpanicus apud Ferdinandum II. & Gondemarius apud Jacobum Angliæ Regem Legato Veneto *Excellentiam* dare noluere: idem fecere eodem ferè tempore Comes de Kevenhuller Legatus Cæſaris ad Regem Hiſpaniarum & Comes Swarzenburgicus Legatus Cæſaris ad Regem Angliæ. Sed Monaſterii omnium conſenſu Legato Veneto plenus honor habitus eſt, nec ab eo tempore in dubium revocatus. Itaque in Gallia nihilo minore apparatu Venetus quam Regius Orator excipitur. Jus Legati *Sabaudiæ* nonnihil fluctuavit. Sabaudiæ Comitem Sigiſmundus Imperator creavit Ducem, cujus exinde crevit autoritas, eouſque ut Legati ejus haberentur ante Venetos, ſed Emanuel Philibertus inter Carolum V. & Franciſcum I. jactatus, reipublicæ amicitiam quæſivit, & filii S. Marci nomen ſumſit, & Reipublicæ ceſſit, ea conditione tamen ut quoad cætera Legati ejus Venetis æquales habe-

haberentur. Extat de *Controverſia inter Venetos & Sabaudum* Libellus Theodori Graswinkelii, ubi iſta fusè diſcutiuntur. Porro Sabaudi Legatus *Excellentiæ* titulo uſus eſt inter primos. Olim ille titulus non niſi ſummis Principibus dabatur, cum nondum Celſitudo frequentaretur; poſtea manſit Principibus minoribus, ſed ex Sereniſſima familia profectis; quanquam his quoque hodie Celſitudo tribui ſoleat. Cum ergo Ludovicus Niverñienſis Henrici IV. ad Pontificem Legatus, Excellentiæ titulo meritò uteretur, velut Princeps ex familia Mantuana, Legatus Hiſpanus æmulatione motus eundem ſibi titulum dari curavit; ſecutus eſt Venetus, & Sabaudus, qui quo faciliùs obtinerent ab aliis, eum ſibi mutuò dabant: ſed cum poſtea inter ſucceſſores ortæ eſſent ſimultates, Venetus Sabaudo *Excellentiam* negavit, quam tamen Nuntium Apoſtolicum concedere non ignorabat. Monaſterii Nuntius Legato Sabaudo San-Mauritio *Excellentiæ* honorem habere noluit, provocans ad Exemplum Cæſareorum atque Hiſpanorum: Galli tamen & Bavari faciliores fuêre. Tandem Innocentius X. Pontifex decrevit *Excellentiam* Sabaudo pariter & Florentino Legato non abnuendam. Primæ quoque Viſitationis honor Sabaudi Legato Monaſterii habitus etiam à Nuntio aliiſque qui *Excellentiam* tribuere illi nolebant; Sabaudus ſimiles Regiis honores ſibi tribui, & Legatis ſuis tantundem concedi poſtulat, quantum Venetis datur; ſed hactenus fruſtra: tametſi hac inprimis ſpe Victor Amedæus Cypri ſe Regem tulerit, & Cardinalibus *Eminentiam*, Venetorum Exemplo, negârit, quam ſecundum Decretum Congregationis Rituum anno 1630. ſub Urbano VIII. promulgatum omnes exceptis Regibus Cardinali debent. Sed tametſi Legatus Sabaudiæ Ducis caput tegat coram Rege, nondum tamen efficere potuit ut honor receptionis idem qui Veneto, ipſi haberetur, qua de cauſa Marchio de Villa Lutetiam incognitus intravit potiùs, quàm ut aliter quàm Venetus ſolet, reciperetur. Illud animadvertendum, ſoli ex Principibus Italiæ Sabaudo Regem Galliæ olim Fratris appellationem adſcripſiſſe (ut nota-

vimus ſupra ex illis formulis quæ Tom. III. Commentariorum Villaregii extant) & Electores quoſdam Imperii circa annum 1658 pactos, ut Sabaudo Celſitudinis Regiæ honor haberetur. Sabaudo viciſſim Electoribus præcedentiam ſpondente, vel potius dudum debitam agnoſcente. Certum eſt enim Electores ſemper ante omnes Italiæ Principes fuiſſe, tametſi nec olim à Rege Chriſtianiſſimo *Fratres* appellarentur, nec hodie Legati eorum ſe tegant coram Rege, quorum utrumque Sabaudis non negatum. Unde irregularitas cæremoniarum hactenus in Gallia receptarum apparet. Sed nobis interea ſufficit Sabaudi Legatis *Excellentiam* à pleriſque, primæ vero viſitationis, & credo etiam loci potioris honorem, ni fallor, ab omnibus conceſſam eſſe. *Magnus Dux Hetruriæ* hodie à Sabaudo non diſtinguitur, quantum ad honores attinet, qui vel Dominis vel Legatis debentur. Hoc Romæ, hoc Lutetiæ extra controverſiam poſitum. Inter ipſos Florentinos Sabaudoſque crebræ non ita dudum lites. Olim cum Ferrarienſi certavit Florentinus, licet jam Magnus Dux creatus eſſet, & à Pontifice ac Cæſare cautum, ne quid illa creatio præjudicii aliorum dignitatibus adferret. Mirum eſt Florentinum cum hoc obtinere non poſſet à Pontifice, ut Rex crearetur, obſtante Cæſare Maximiliano: non ſaltem id effeciſſe quod Veneti jam obtinuerant, ut haberetur Legatis ejus honos qui Regiis: ita Magni Ducis appellatio aliquid ſaltem præter nomen attuliſſet. Sed credo tunc ne ipſos quidem Italos eò, quo nunc, ingenioſæ ſcrupuloſitatis perveniſſe. Poſteà Ferdinandus Coſmus Herruriæ Dux prætextu ſignificandi obitus Patris ſui Ferdinandi & continuaturæ à ſe amicitiæ Legatum Coloredum ad pleróſque Germaniæ Principes miſit, eo ferè conſilio tantùm, ut ſibi *Sereniſſimi* titulum ambiret: nam Legato in mandatis dederat ut ne aliter ſcriptas literas reciperet. Sed quod ſupra diximus ſufficit, Florentinum in eadem cum Sabaudo cauſa eſſe videri. Legatus quoque *Mantuanus* ſe coram Cæſare & Regibus Galliæ atque Angliæ tegit; mirum eſt verò Hiſpaniæ Regem id permittere noluiſſe, qui tamen ſe forte nunc faci-

faciliorem præbet, præſertim ex quo Mantuana familia Auſtriacæ aliquoties illigata eſt. Cum Legatus Mantuæ Ducis Monaſterium veniſſet, *Excellentiam* à Legatis Galliæ obtinuit: Nuntius reſiſtit, Cæſareorum exemplo. Unde intelligi poteſt, parum rectè Gallos hodie erga Sereniſſimos Germaniæ Principes nihil niſi poſt Cæſareos facere velle; cum tamen Monaſterii erga Sabaudum & Mantuanum facilitate primi fuiſſent, non expectato Cæſareorum exemplo. *De Mutinenſi ac Parmenſi* non eſt quod multa dicamus: nam non eſt cur à Mantuano diſcernatur, & Duces ipſi in Gallia, Parmenſis, Richelii, Mutinenſis, Mazarini temporibus maximis ac pene invidendis honoribus culti ſunt, unde dubium nullum eſt Legatos quoque eorum in eo honore eſſe, qui cæteris Italiæ Principibus conceditur.

CAP. LI.

Quicquid Italis, id Germaniæ quoque Principibus atque Electoribus competit. Nam & Itali Imperio ſubſunt. Oſtenditur eos olim Imperio ſubfuiſſe, nec libertatis titulum docere poſſe. Idque primum generatim.

HInc ergo conſtat pleroſque Italiæ Principes hodie pleno Legationis jure frui, & Legatos eorum non niſi in paucis à Regiis diſtingui. Quanquam enim ea ſolemnitate non recipiantur, quæ Regiis & Venetis Bataviſque præſto eſt: tamen tegunt ſe coram Regibus (quod nondum Electorales obtinuere) & in aliquo Legatorum inter ſe invicem congreſſu, *Excellentiæ* & primæ viſitationis, locique potioris honore fruuntur, quod nunc in Electoribus & haud dubiè mox & Sereniſſimis Germaniæ Principibus extra controverſiam erit. Supereſt ergo ut oſtendam id jure fieri, & Italos ab Electoribus & nihilo-minoribus Germaniæ Principibus non niſi ineptè aut malignè divelli. Hoc mihi fatebitur, quiſquis agnoſcere pleroſque omnes Italiæ Regulos aut Reſpublicas, Sacri Imperii Principes atque civitates eſſe; Italiam pene totam Imperii patrimonium fuiſſe, uſque ad Friderici

rici II. obitum, conſtat inter omnes; & maximè ex *Regno Italiæ* Caroli Sigonii intelligi poteſt. Idem Sigonius, quem plerique ſecuti ſunt, refert Rudolphum I. Cæſarem in Germania conſtituenda ſatis occupatum, nec ad longinqua aſpirare auſum, plerisque Italiæ Civitatibus libertatem plenam vendidiſſe. Quod ſi verum eſſet, credibile eſt extituras uſpiam tabulas authenticas, quibus vel in unica ex tot Civitatibus probari tanti momenti actus poſſit. Sed nemo Scriptorum Italorum tale quippiam uſpiam produxit, quanquam nihil ambitioſius affectent quàm gentis ſuæ libertatem; & Genuenſes ipſi à Marchione Finalienſi lite pulſati apud Cæſarem Maximilianum II. non niſi ad Caroli V. tabulas confugêre, quibus libertatem ſed fruſtra probare conati ſunt. Quámque iſta Rudolphi alienatio falſa ſit nulla re magis conſtat, quàm præclara in Italiam expeditione magni Imperatoris Henrici Lucemburgii, cui nemo profectò Italorum, Rudolphi, licet recentis (nam Alberti qui Henricum præceſſerat, pater fuit) diplomata aut renuntiationes objecit. Unde credibile eſt, quædam forte Privilegia ac Regalia (ex illis ſcilicet, quæ Imperio reſervavit Fredericus I. in Pace Conſtantiæ in Comitiis anni 1183 condita, cujus textum Baldus commentario illuſtravit,) tunc à Rudolpho remiſſa fuiſſe. Henricus autem à Clemente V. Pontifice Avenione agente in Italiam evocatus eſt, ut turbatis fœde rebus unius autoritas mederetur. Italia tunc miſerè diſtracta erat, diuturna Cæſarum, & noviſſima Pontificis abſentia: urbes paſſim tyranniones premebant, Scaligeri Veronam, Paſſerini Mantuam, Carrarienſes Patavium, ſed & Veneti Ferrariam, Florentini Piſtoiam expugnaverant. Imperator cum Bohemiæ regnum filio Johanni procuraſſet, ſtabilitis in Germania rebus, Italiam magno bonorum applauſu ingreſſus eſt; Mediolanenſibus ſubactis vicarium impoſuit, Cremonenſium muros dejecit, Brixiam evertit. Quo territi Mantuani, Veronenſes, Placentini, Patavini, Tarviſini imperata ſe facturos datis obſidibus ſpopondere. Inde Genua ac Piſæ victori ceſſere: Romæ coronatum, jamque in Florenti-

rentinos moventem, mors deprehendit, quam veneno in Sacra hoſtia dato adſcribunt. Ludovicus Bavarus ſucceſſor res Italiæ minime omiſit: initio Imperii Galeatio & Cani Scaligero Gibellinis, auxilia Mediolanum ac Patavium miſit; in Conventu Francofortenſi Caſtrucio Lucæ Vicariatum dedit, ingreſſus in Italiam, Mediolani Coronam regni Lombardiæ accepit, Galeatium in vincula conjecit; ſed intercedente Caſtrucio reſtituit; Romæ Coronam Imperii ſibi imponi curavit. Inde redux Johannem Regem Bohemiæ Henrici Lucenburgenſis filium in Italiam ablegavit, is Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Rhegium, Mutinam, urbes ſubegit; per filium Carolum, Vice-Comites, Mediolanenſem, Mantuanum & Rainaldum Eſtenſem in ordinem redegit. Is Carolus poſtea Imperator Vice-Comitem Mediolanenſem Galeatium II. perpetuum per Lombardiam Cæſaris Vicarium conſtituit; formulam fiduciæ ſive Inveſtituræ ſe vidiſſe ait Bodinus. Poſtea Wenceſlai ignavia & Ruperti debilitas Italos turbones rurſus erexit, & ſecutum ſchiſma in Eccleſia quod ægrè Sigiſmundus Imperator tollere potuit, confirmavit. Fridericus tamen Auſtrius ejus nominis III. Sigiſmundi ſucceſſor Romæ coronatus, Italiam in Officio retinere ſtuduit; ſed filius ejus Maximilianus paulo efficacius, verbis arma junxit. Hujus Majeſtatem Veneti in anguſtias redacti agnovere; Florentino ab eo quadraginta aureorum millibus Privilegiorum confirmationem redemere. Julius II. Papa numeratis aureorum triginta millibus obtinuit, ut Senenſis Civitas Urbinatium Duci in Feudum daretur, quemadmodum habet Bodinus ex Guicciardino. Quantâ nominis ſui gloria Imperii Majeſtatem in Italia aſſeruerit Carolus V. Maximiliani nepos, notius eſt quàm ut huc referri debeat. Sed nunc paucis per Italiæ Principes præcipuos eamus, ut propiora noſtris temporibus Imperii in eos jura intelligamus.

CAP.

Cap. LII.

Speciatim vero idem docetur in Sabaudo *qui ſuffragium in Comitiis habet, in matriculam relatus eſt, ad Cameram contribuit; proſcriptus eſt aliquando. Eſt Vicarius Imperii. Etiam* Mantuanus *Imperii Vaſallus eſt, & ſtare debet judicio Cæſaris.* Florentini *nunquam ab Imperio liberati, à Carolo V. ſubacti & Medicæis, ita ut Imperio ſubeſſent, conceſſi;* Mutinenſis *Imperii Vaſallus, & Mantuanus. Parmenſis Pontificis. Porro Medicæarum, Farneſiorum, Gonzagarum, familiæ novæ, ſi Germanis comparentur. Domus Brunſvicenſis eſt Eſtenſis familiæ caput.*

S*Abaudum* Imperii vaſallum eſſe, res indubitata eſt; Bodinus Inſtrumentum mandati à Sabaudiæ Duce Inveſtituræ in melius reformandæ cauſa cuidam in Cæſaris aula Comiti miſſi, anno 1561, ſibi viſum ait. Sed res extra dubium erit inſpicienti Inſtrumentum Pacis cum Gallia Monaſterii initæ, ubi hæc habentur: *Cæſarea Majeſtas decenter requiſita concedet Domino Duci Sabaudiæ unà cum Inveſtitura antiquorum Feudorum & Statuum qualem inclytæ memoriæ Ferdinandus II. Duci Sabaudiæ Victori Amedæo conceſſerat; Inveſtituram quoque locorum, ditionum, ſtatuum omniumque jurium Montisferrati cum appertinentiis, quæ illi vigore prædicti Tractatus Cheraſcenſis, nec non executionis indeſubſecutæ decreta & remiſſa fuerunt*, &c. Ad Comitia quoque vocatur Dux Sabaudiæ, ibique ſæpe comparet per Deputatum, ſed & relatus eſt in Breviarium Imperii ſive Matriculam, eique adſcripti ſexcenti pedites & ducenti ſeptuaginta ſeptem equites ad Imperii uſus mittendi, vel mille octingenti viginti & octo floreni. Trecentos florenos confert ad Cameralis Judicii ſuſtentationem. Imò ſuperioris ſeculi anno vigeſimo quinto ab Imperiali Camera proſcriptus eſt, ut refertur in Symphorematis Gylmanni, voce *Bannum:* & in Receſſibus Imperii aliquoties vocatur *Princeps*, *membrum*, *Vaſſallus* Imperii.

Digitized by Google

rii. In receſſu Ratisbonenſi 1541. §. nachdem aber des H. Reichs: & Receſſu Spirenſi 1544. procem. Sedem locumque in Comitiis habet poſt Brunſvicenſes, Megalopolitanos, Wurtenbergicos & Holſatos; ipſe ſe vocat, *Prince & Vicaire perpetuel du S. Empire.* Vicariatus hæc vis eſt, ut quamvis ab Imperatore dependeat, actus tamen Imperiales exercere poſſit, ut Marchiones, Comites, Nobiles creare; Homagium Feudorum Imperii vice accipere; controverſias velut delegata ab Imperatore autoritate terminare; aliaque id genus Imperiali nomine exercere. Additum ut ne quis Comes Palatinus Imperialis, in diſtrictu qui Vicariatui Sabaudi aſſignatus eſt, officium ſuum explicare poſſit. Unde patet ipſum Ducem quodammodo Comitem Palatinum perpetuum & unicum ibi conſtitutum; cum verò Mantuanus hunc Sabaudi Vicariatum turbaret, & ad ſe traheret, Electores à Leopoldo Cæſare in Capitulatione ſtipulati ſunt, ut Mantuano ea re interdiceretur. Ex his ergo omnibus apparet quàm nullo Jure Sabaudus ab aliis Sereniſſimis Imperii Principibus diſtingui poſſit, cùm & Saxonica ſtirpe & ſerti rutacei inſignibus glorietur. Nec refert quod quædam pleno jure tenet, ut apparet etiam ex Inſtrumento pacis Monaſterienſis dicto loco, nempe Rocheveranum, Olmum & Cæſolam, hæc enim non ſunt tanti; præterea locum Inſtrumenti Pacis aliqui ita explicant, non quòd illæ ditiones non ſubſint Imperio, ſed quod non ſint Feuda Imperialia. Nam quod eſt in territorio præſumitur eſſe de territorio, niſi contrarium probetur ?. adeoque Imperium in omnia illa loca habet fundatam intentionem, donec ſint quæ juſto titulo eximi doceatur. Jus in Regnum Cypri hic non diſcutio, quanquam Victor Amedæus anno 1633. coronam antea Ducalem clauſerit, & Legatos ſuos obedientiam Pontifici more ſolito denuntiantes in Atrio Regiis tantum Legatis deſtinato, *nella ſala Regia* recipi, ſed fruſtra poſtularit. Nam nec iſta ſatis liquida ſunt, neque unquam Cyprus illi à majoribus ejus poſſeſſa, & ſi hujuſmodi prætenſiones hic audimus, erunt, credo in Gallia, qui ſe Imperatores Conſtanti-

nopo-

nopolitanos, Duces Athenarum, forte & Neapoleos Reges ferent, & quid non? ſed eſto illud jus quantumcunque libuerit, illud tamen conſtat nullos novos honores Victorem Amedæum ejuſque ſucceſſores illius cauſa impetraſſe niſi nudum Celſitudinis Regiæ nomen. Quare hoc loco in rationes id non veniet, cum nobis ſufficiat eadem pro Germaniæ Principibus ſupremis impetrare quæ Sabaudo ob Suprematum quem re ipſa tenet, conceduntur, quando nihil intereſſe certum eſt; neque enim Sabaudus liberior cenſeri debet, quam multi alii Principes, tametſi forte ob diſtantiam aliquando plus, quam jus permittit, aut conditio Principis Imperii fert, uſurpaviſſet. *Dux Mantuæ* (qui olim Marchio appellabatur) ſe Principem Imperii vocat, & Vaſallum agnoſcit, ut ait Bodinus. Nec Inveſtituram tantum recipit, ſed & in ſummis Imperii Tribunalibus conveniri poteſt, quemadmodum patet ex Inſtrumento Pacis Monaſterii inter Imperium & Galliam factæ, cujus verba ſunt: *Similiter declarabit Imperator, Inveſtitura Ducatus Mantuæ comprehendi Caſtra Regioli & Luzzara cum ſuis territoriis & dependentiis, quarum poſſeſſionem Dux Gaſtallæ Duci Mantuæ reſtituere teneatur, reſervatis tamen eidem juribus pro ſex millibus ſcutatorum annuorum quæ prætendit, de quibus agere & judicio experiri coram ſua Cæſarea Majeſtate valeat adverſus Ducem Mantuæ.* Origo horum Ducum longè infra pleraſque Germaniæ Principum. Cum aliquando Mantuanus cum Sabaudo de dignitate contendiſſet, objectum eſt à Sabaudo, Ludovicum Gonzagam civem fuiſſe Mantuanum circa annum 1327. natum matre ex familia S. Martini ſubdita Sabaudis, urbem anno 1369. in poteſtatem redegiſſe, ut Vicarium Imperii tantùm, quam ſine ullo dignitatis titulo poſteri ejus tenuerint uſque ad annum 1433. tum primum Johannem Franciſcum Gonzagam creatum Marchionem Mantuanum ab Imperatore Sigiſmundo & Fridericum à Carolo V. demum anno 1530 Ducem appellatum. Duci Sabaudiæ jam olim à Venetis Gubernatoribus Mediolani *Celſitudinem*, Mantuano tantum *Excellentiam* tributam; Emanuelem

Digitized by Google

nuclem Philibertum Mantuano dediſſe non niſi *Excellentiam*, & tamen ab eo *Celſitudinem* recepiſſe. Cum olim Sabaudus à Regibus Hiſpaniæ *Illuſtriſſimus* appellaretur, Mantuanum tantum dictum *Multùm Illuſtrem*. Sabaudiæ Legatum habere ſedem certam in Sacello Romæ, in Gallia, Venetiis. Mantuanum autem in nullo Sacello Regio. Quæ omnia atque his plura in Tomo X. Mercurii olim Gallicè editi, leguntur. Unde apparet nihil objectum eſſe Principibus Germaniæ, quod non juſtius multò opponi Mantuano poſſit. Montisferratenſem Marchionatum Carolus V. Friderico Gonzagæ fiduciario jure conceſſit; Maximilianus II. anno 1573. ad Ducatus honorem evexit. Caſalenſes per ſententiam Cæſaream Montisferrati Principatui addicti ſunt. *Florentinos* Imperio quondam ſubditos nihil unquam exemit; nam venditionem Rudolphi I. ſupra exploſimus; certè Henricus Luxemburgicus Florentinis imminebat, niſi mors ejus arma ſtitiſſet. A Maximiliano I. Florentinos renovationem Privilegiorum impetraſſe, ſupra diximus, hoc autem conſtat niſi à ſubditis non peti ſolere. Carolus V. Florentinos ſubegit, velut Majeſtatis reos conceſſis immunitatibus ſpoliavit, & ut Clementi VII. Medicæo gratificaretur, Alexandrum ex eadem familia Principem civitati impoſuit, ſibique generum accivit, privilegia illi quæ olim civitati conceſſa erant reddidit; adjecta (ut inter Imperii ſubditos fieri ſolet) decem Marcarum auri pœna in violatores, ut habet Jovius. Et Cæſareum Diploma ita conſcriptum fuiſſe, notat Guicciardinus, ut appareret Carolum velle, quæ egiſſet, non conceſſâ à partibus poteſtate tantùm, ſed & Cæſarea auctoritate dignitateque niti. Nec tamen eo minus & Alexander Medicæus eo diplomate uſus eſt, & Florentini ſe id ſervaturos juravere. Senas Imperator Philippo filio in Feudum dedit, Philippus Hiſpanus Coſmo in ſub-feudum conceſſit. Cum Alphonſus Ferrarienſis Coſmum tanquam Imperii Beneficiarium (ut ait Thuanus lib. 54.) ad dicendam cauſam citaſſet, Coſmus ſe judicio ſiſtere coactus eſt, eo eventu quem narrat Thuanus

lib. 60. ad annum 1575. nempe Franciſcum Coſmi ſucceſſorem tandem obtinuiſſe ut titulus Magni Ducis à Cæſare *Beneficiario jure* confirmaretur. Medicæam familiam quoad originem cum pleriſque Germanicarum conferri non poſſe conſtat, & ſi verum eſt ex duobus in eadem dignitate conſtitutis cedere inferiorem, certè Medicæi non ita olim Duces, vix locum tuebuntur. Sabaudus certè ante Medicæum ſedit, eique Pius V. honorem illibatum ſervari noluit, cum Coſmum *Magnum Ducem* appellaret. Hodiéque Sabaudus Italiæ Principum primus à pleriſque habetur, certe à Rege Chriſtianiſſimo fratrem ante alios Italiæ Principes appellatum, ſupra notavimus. Itaque cum Sabaudum nihilo præſtantiorem habendum præcipuis Germaniæ Principibus, ubertim oſtenderimus, non erit cur de magno Hetruriæ Duce aliter ſentiamus. De *Parmæ ac Placentiæ* Ducibus non eſt cur dicamus. Conſtat enim eos Pontificis eſſe Vaſallos, ut reliqui ſunt Cæſaris. Carolus V. Parmam & Placentiam Paulo III. Farneſio permiſit, cujus Filius Petrus Aloyſius eas primum tenuit, ſed ſalvis ut videtur ſummis Imperii Juribus, quæ Cæſarem, vi jurejurandi Electoribus dati, non omnino alienare poſſe conſtabat. Cum *Mutinæ* quoque ac *Rhegii Ducibus* reſtat ut tranſigamus. Ateſtina familia ultra omnem memoriam vetuſtate aſſurgit, nullique aliarum nobilitate concedit, certè ex Italicis nulla eſt quæ diutius floruerit; ut cæteræ omnes ſi cum ipſa comparentur, nudius tertius natæ videri poſſint. Hujus originem Itali fere ad C. Actium quendam Romanum retulere; Germani plerique ad Saxonem Witekindum, ambo potius conſuetudinem Genealogiſtarum peſſimam fingendi quidvis, quàm idonea argumenta ſecuti. Equidem illud conſtat inter omnes fere Germanos pariter atque Italos ſcriptores, Azonem Ateſtinum Henrici II. Cæſaris tempore gentis Brunſvico-Lunæburgicæ atque Ateſtinæ Ferrarienſis originem fuiſſe communem. Nam Wolfgangus vel Guelpho IV. ipſi natus ex Cunitia ſeu Cunigunda ſive Conradina Guelfica (Bavariæ hærede, Guelfonis III. ultimi ſuæ gentis maſculi filia) Germanicas

cas ditiones & partem Italarum obtinuit; alter filius Azo ex Judithe Conradi II. Imperatoris filia ſuſceptus, Marchio Ateſtinus appellatus eſt, à quo familia Eſtenſis in Italia propagata eſt. Guelphonis filius Henricus cognomento Magnus vel Niger cum uxore Wulfilde Saxoniæ Ducatum prætere accepit, ejus filius Henricus ſuperbus; at nepos Henricus Leo Bavaria & reliquarum ditionum magna parte exutus Ducatum Brunſvicenſem & Lunæburgenſem poſteris reliquit. Eſt ergo Brunſvico-Lunæburgenſis domus familiæ Ateſtinæ caput, nam frater Guelphonis natu minor Azo in Italia Eſtenſes propagavit. Unde intelligi poteſt, ſi vera erant quæ jactabant Pontifices, ſub exitum ſuperioris ſeculi familiam Ateſtinorum Italiæ maſculam legitimam fuiſſe extinctam, (quo certe titulo Papa Ferrarienſem Ducatum ſibi vindicavit,) non deeſſe rationes quibus ſucceſſio tot opimarum ditionum ſaltem pro parte Germanicæ ſtirpi aſſeratur. Cæterum de prima gentis origine, & unde ſit Azo ille Marchio totius familiæ autor, id vero, ut diximus, controverſum eſt, aliis ad Actium Romanum, aliis ad Witekindum Saxonem revocantibus. Quinimo ſunt docti viri qui aſſerunt Ateſtinam familiam Alboini Longobardorum Regis fortunam ſecutam, ducentis ante Carolum M. annis in Italia floruiſſe. Sed ab his teſtes idoneos exſpectamus; Hoc vero miſſo, illud nobis ſufficit, familiam Germanicam Eſtenſem & honore primogenituræ (ne quid de rebus geſtis dicam) potiorem, neque ulla natalium dubitatione fuiſſe libatam, quæ Italicam graviter afflixit. Quare nuperus autor Collectaneorum de Legatis, ait, (quanquam id per omnia non probemus) *que le Duc de Modene eſt ſorti d'un fils naturel de la maiſon d'Eſté, dont les Princes de Brunſvic & Lunebourg ſe diſent eſtre les Chefs.* Sabaudum Sigiſmundus Imp. Ducem creavit; Parmenſes à ſuperiore ſeculo dignitatem repetunt; Medicæi Florentini cives fuere.

Cap LIII.

Etſi autem Italiæ Principes præter ditiones feudales etiam alias liberas tenent, eæ tamen exiguæ ſunt; nec feudalis conditio Suprematum minuit, aut liberi territorii poſſeſſio auget, neque enim Brandeburgico ob Boruſſiam poſſeſſam cedent alii Electores. At verò, inquies, Principes Italiæ ſunt quidem Vaſalli Imperii, ſed tamen à Comitiorum oneribus liberi, quia nec illis interveniunt. Reſpondeo: Sabaudum ab illis liberum non eſſe: præterea quoniam Principes Italiæ ſubſunt Imperio adeoque & Comitiis, ideò liberiores eſſent, ſi in Republica, cujus membra ſunt, jus ſuffragii haberent; neque enim ab oneribus Imperii exemti ſunt. Et libera Imperii nobilitas libenter ferret onera Comitiorum, ſi jus ſuffragii obtineret. Ex his ergo colligo nihilo meliorem Principum Imperii Italorum quam Germanorum in his conditionem eſſe.

Itaque concludo pleraſque Italiæ familias quæ ſe Sereniſſimas ferunt, nec generis claritate, nec potentia, nec libertate Sereniſſimis quibuſdam Germaniæ Principibus præferri, nonnullis nonnullas nec comparari poſſe. Quandoquidem ferè omnes maximam ditionum partem Imperio beneficiariam tenent, Sabaudus etiam in Comitiis comparet, Mantuanus quoque Imperii judicia agnoſcit. At verò, inquies, alias quoque ditiones habent plerique Imperio minimè obnoxias. Reſpondeo, primum, eas ferè exiguas eſſe, aut utique controverſam earum libertatem. Certè Bodinus, vir doctiſſimus, multis oſtendit omnes Italiæ Regulos nihil poſſidere, niſi aut Eccleſiæ Romanæ aut Sacri Imperii beneficio Feudali. Deinde, qui territoria quædam exigua cæteris maximis ditionibus, Imperio ſine controverſia obnoxiis, undique cincta, in libertatem aſſerunt, profectò rationes luce clariores afferre debent, alioqui quod in territorio eſt præſumitur eſſe de territorio; & Dominus (ſcilicet

licet Imperator) fundatam habet intentionem. Deinde cùm negari non poſſit, Imperii, ſive ſi mavis, Regni Italiæ, omnem illum terrarum tractum fuiſſe, manifeſtum eſt hodieque ejus eſſe videri; niſi portio aliqua modo quodam jure approbato, amiſſa aut derelicta doceatur. Sed eſto ſanè, doceri plenam ditiunculæ cujuſdam libertatem; nihil id quidem ad rem pertinebit, niſi ditio illa per ſe ſit capax Suprematus, ut ſupra dixi. Regis Ivetotii in Gallia, aliquot pagorum Domini exigua credo fuiſſet inter Principes Chriſtianos autoritas, tametſi plena libertate gauderet, quoniam ut ſupra oſtendi, nemini Suprematus competit, niſi armipotenti. Denique etiamſi ditio eſſet capax Suprematus, & ab omni feudali nexu atque obligationis vinculo libero (quales neſcio an reperiantur in Italia) non ideo tamen alteri præferenda eſſet quoad Suprematum; quoniam ſupra uberrimè oſtenſum eſt, Suprematum Principis nihil imminui feudali nexu vel homagio præſtito, vel ullo vinculo, quod conſcientiam, honoremque obſtringit; dummodo brachia ipſi non ſint actu ipſo ligata, id eſt dummodo alteri jus non ſit ditiones ejus in poteſtate habere militari manu, ſed ipſi omnia integra & ſubditos coërcendi facultatem eſſe conſtet. Itaque nec Electori Brandeburgico Bavarus & Saxo cedent, quod Boruſſiam omni juris nexu liberam ſe tenere profitetur, neque Palatini, Brandeburgenſes, Brunſvicenſes, Duci Holſatiæ Gottorpienſis lineæ quicquam detulêre, ideò quod Sleſvicenſem ditionem pace Sueco-Danica ab homagio abſolutam, obtinuit. Porrò nihil refert quod nonnulli Italiæ Principes Imperii Vaſalli in Comitiis Imperii non comparent; hoc enim potiùs minuit quàm auget eorum libertatem, & qui ſecus ſentiunt, ſeſe & Reipublicæ in univerſum & Germanicæ inprimis parum peritos oſtendunt. Nam in unaquaque Republica libera civis ille cenſetur qui publicis deliberationibus intervenit, & ſuffragii jus habet, iſque illo potior habetur, qui à Reipublicæ gubernatione remotus eſt, quemadmodum in Polonia nobiles ſoli cives ſunt, quia ſoli de Republica ſententiam dicere poſſunt. Idque manifeſta ratione

 evin-

evincam; cùm enim conſtet Italos quos recenſui, Duces, eſſe Principes Imperii, utique ſuberunt Comitiorum Decretis, quouſque ſcilicet Princeps Imperii Comitiis ſummittitur; itaque alieno tantum arbitrio ſubjacebunt, non ſuo; liberiores futuri, ſi quoque poteſtas facta fuiſſet ſententiam inter cæteros dicendi. Conſtat autem in Comitiis res magni momenti tractari poſſe, his ergo excludi, & ſubeſſe tamen, incommodum non exiguum eſt: quin & Aula Cæſarea majore res Italicas libertate diſponit & verſat; quia Comitia & Capitulationes Cæſarem ligantes magis ad Germaniam quam Italiam pertinere cenſentur. Ipſa Origo diſcriminis oſtendit, ad gravandos id potius quam ſublevandos Italos pertinuiſſe. Nimirum Germani Principes & jus eligendi Regis, & ſtatuendi de Republica ſibi ſumſere, cui noluerunt intervenire Italos, velut victos & ſubactos. Nempe, ut ait vir quidam doctiſſimus; [quotieſcunque de rebus etiam Italicis conſtituendum aliquid fuit majoris momenti, ſemper ex conſilio atque autoritate Germanicorum etiam Principum omnia geſta fuerunt, quod infinitis exemplis facile oſtenſu eſt. Huc facit quod Italia omnem poteſtatem Cæſaris aut Regis conſtituendi, adeoque ejus qui & Italis omnibus imperandi jus habeat, uni Germaniæ circa omnem controverſiam nunquam non conceſſerit, ex quo ab Ottone fuit devicta. Hinc jam olim ſub Friderico I. Cæſare, Mediolanenſibus ſuis Comes Blandratenſis objecit illa quæ refert Guntherus lib. 8.

Reges Alemannia nobis,
Urbibus Italicis leges & jura daturos
Mittere rite ſolet, poſtquam de partibus illis
Carolus & magni regnum ſurrexit Othonis,
Auſoniaque frui Reges cœpere Corona
Teutonici.

Apud eundem lib. 1. neſcio quis alloquitur Germaniæ proceres:

Ex quo Romanum noſtra virtute redemtum,
Hoſtibus expulſis, ad nos juſtiſſimus ordo

Tranſ-

Tranſtulit Imperium, Romani gloria Regni
Nos penes eſt: quemcunque ſibi Germania Regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, & verſo Tiberim regit Ordine Rhenus.]

Unde patet cur factum ſit ut Urbes Lombardicæ (ex quarum rectoribus alicubi Principes orti ſunt) non ſint ad Comitia Germaniæ vocatæ, at vero inquies, ſi ad Comitia non vocentur, etiam onera in Comitiis imperata non ferre: ſed ſciendum eſt, etſi Itali ſub Imperatoribus Germanis ſatis liberaliter ſint habiti, neque tributis preſſi, tamen illos debuiſſe *fodrum* (id eſt pabulum) hoſpitium, & cenſum Capitolinum ſeu ſubventionem quandam pecuniariam Imperatori cum exercitu ad petendam Romæ coronam eunti; ac proinde neceſſitatibus Imperii ſuccurrere debuere: præterea Imperator ſibi Regalia, vel ut quidam vocant, Regalias reſervaverat; ſcilicet, fodinas, ſalinas, angarias & parangarias, aliaque Fiſci jura, quæ paſſim Imperii vicariis poſtea conſtitutis fuere in Feudum data, aut certe permiſſa, cum poſt Fridericum II. Imperatores Italiam rariùs adirent. Illud tamen hodiéque certum eſt, Imperium ſuis in Italia Principibus protectionem, ipſos contra neceſſaria ſubſidia Imperio debere; ſi ſcilicet ita neceſſitas poſtulet: id enim munus eſt Vaſalli, ut Domino ſerviat, milite, aut ſi ita malint ambo, pecunia. Equidem cum in Comitiis ſubſidia Cæſari decernuntur, ea propriè non pertinent ad Italos Imperii Principes, ſed tantùm ad Ordines, quibus in Comitiis deliberandi jus eſt; non ideò tamen Itali exempti putandi ſunt. Quod manifeſtiſſimo exemplo oſtendam, ex ipſa Germania petito, liberæ Nobilitatis; ea enim non vocatur ad Comitia, neque quicquam confert ad ea quæ Ordines Cæſari decrevere, extra ordinem tamen, ſi ita Imperatori & Ordinibus videatur, aut militare Imperio, pro feudi qualitate; aut pecuniâ ſubvenire debet; quemadmodum tum ex ipſa indubitabili Feudorum natura, tum ex Receſſibus Imperii conſtat. Eadem etiam Italorum Principum conditio cenſeri debet, qui ab immediato Germaniæ nobili vel Dynaſta (qui ſcilicet

Imperatori & Imperio tantùm ſubeſt,) non niſi Feudi magnitudine diſtinguuntur; quæ facit ut Itali Principes Suprematum habeant, cujus exiguum aliquod Feudum nobilis Dynaſtæ Germani, ut ſupra oſtendimus, capax non eſt: alioqui Imperio eodem plane modo ſubſunt ambo, judiciiſque ejus & Comitiorum decretis ſtare debent, eandemque Cæſari obedientiam debent, quam ſcilicet Homagii feudalis formula ubique ſimilis, præſcribit. Poſito ergò, Nobilem Germaniæ Immediatum à Principe Italiæ nonniſi magnitudine Feudi differre, jam patebit Analogia hæc quoque, quod quemadmodum in Germania illi Nobiles vel Dynaſtæ habentur potiores qui non tantum immediati ſunt, ſed etiam jus habent Suffragii ſive Seſſionis in Comitiis; & nullus eorum eſt, qui non jus Seſſionis libenter redimeret, paratus ſolvere pro portione ſua, quicquid à Comitiis imperabitur quod tolerabile admodum eſſe ſolet; ita ſimiliter in eo Principes Imperii in Germania potiores ſunt Italis, quod de tota Imperii Republica cum cæteris ſtatuunt, & Itali, ſi id quod ſua intereſt intelligerent, darent operam ut hoc quoque beneficio potirentur. Certe Carolus V. Princeps ſapientiſſimus Flandriam & alias ditiones, à Gallico jure, Madritenſi pace abſolutas, poterat liberrima poteſtate tenere; ſed in Imperii Clientelam dare maluit, erecto Burgundico Circulo novo, qui & jus ſuffragii habet & Imperii neceſſitatibus ſubſidia confert, viciſſim protectionem Imperii efficacem hodie experitur. Scilicet in eo conſiſtit minorum Principum ac Rerumpublicarum ſalus, ut inter ſe contra potentiores firmo fœdere defendantur. Quid aliud autem Imperium noſtrum eſt, quàm perpetuum ſub unius capitis Majeſtate fœdus, æquiſſimis profecto legibus initum, cui ſi jam dudum acceſſiſſent Batavi, ſaltem pro parte ditionum, non ita facilè nupera in eos tempeſtas detonuiſſet: ſemper enim Gallia hactenus aliquam erga magnum Imperii Corpus reverentiam profeſſa eſt, idque jam dudum, pro noviſſimo afflictis rebus perfugio Rectores Reipublicæ illius habuiſſe animadvertit Obſervationum nuperarum de

Fœde-

Digitized by Google

Fœderati Belgii Statu illuſtris autor Anglus. Et ſi Gallia Plombinum ac vicina loca tenuiſſet (quod ne fieret domeſtica regni diſſidia fecêre) belli mole in Italiam tranſlata; vidiſſemus credo Italos Principes certatim Imperii fidem implorantes, idque non ipſos minus quam Helvetios aliquando facturos auguror, (ne quid de Batavis dicam) ipſa neceſſitate compulſos, ſi Gallia perget ire, quo cepit gradu, ad arbitrium rerum. Sed hæc quidem fatis relinquamus: nobis oſtendiſſe ſatis eſt, tanto meliorem eſſe Principum Germaniæ conditionem, quàm Italorum, quanto ſatius eſt in urbe cum cæteris habitare, ibique locum habere in Senatu, quam in agro ſolum degere. Quod ſi Itali hodie incommoda non ſentiunt rupti vinculi, id caſui tribuendum eſt; ſapientes autem ratione moventur, nec tantùm quid fiat, ſed & quid factum futurumque ſit ſpectant. Nam quàm ſæpe & quàm miſerè Italia ab exteris ac civibus lacerata ſit, ob abſentiam Cæſarum, utique conſtat. Sed quoniam nos hîc non de eo quod intereſt, ſed de jure; nec de utilitate, ſed de dignitate loquimur; hæc quidem mittamus: contenti demonſtraſſe ſupra, quòd Principes Itali, quos diximus, non minus Imperio ſubſint, quam Germani; imo (quoniam de juribus Majeſtatis in Comitiis partem non capiunt) adhuc magis. Cum ergo nec Suprematu, nec Feudorum qualitate, nec alio nomine, melioris ſint conditionis Principes Itali quàm Germani, in nonnullis etiam deterioris; & cùm omnibus communis ſit *Imperii Principum* natura & ratio; ſupereſt, ut dignitate quoque minimùm æquales cenſeantur, & quicquid Italis publici honoris conceſſum eſt, id Germanis quoque ſine injuria & contumelia negari non poſſit. Itaque cùm Itali tum alia valde honorifica apud Reges, Principes, Reſpublicas pro more ſeculi obtinuerint, ut, Fraternitatem, Serenitatem, & quæ his connexa ſunt; tum verò jus Legationis optimum maximum in congreſſibus Legatorum exerceant, quemadmodum prolixè docuimus; ſupereſt ut exempla eorum Germaniæ quoque Principibus proficere debere concludamus.

Cap. LIV.

Poſtquam rationibus, & exemplis Electorum ac Principum Italiæ, *adſtruximus* jus *Principum Germaniæ; ſupereſt, ut* poſſeſſionem *quoque ipſis aſſeramus. Et quidem hic non eſſet opus actibus poſſeſſoriis ad probandam poſſeſſionem, quia* quæ ſunt meræ facultatis ipſo jure poſſidentur. *Quemadmodum enim poſſideo jus ædificandi in fundo meo, etſi neque ego, neque meorum majorum quiſquam id antea fecerit, ita qui Suprematum habet poſſidet jus exercendi actus ex eo promanantes, qualis eſt mittere Legatum cum charactere ſummo, etſi id nunquam antea feciſſet. Ut taceam actus poſſeſſorios Electorum & Principum Italorum haberi poſſe pro noſtris ob paritatem cauſæ.*

Poſtquam primum *rationibus*, deinde *exemplis alienis* dignitatem & *jus Legationis* ſummorum Germaniæ Principum adſtruximus, ſupereſt ut nunc propriis ipſorum actibus poſſeſſionem ipſis aſſeramus. Poſſidetur unaquæque res pro natura ac conditione ſua *detinendo*, *inſiſtendo*, *exercendo*, imò ſunt quæ poſſidentur non amittendo; Mobilia detinentur, immobilibus inſiſtitur, incorporalia (jura ſcilicet atque actiones) exercentur; denique quæ ſunt naturalis libertatis & dicuntur *meræ facultatis* ea poſſideri intelliguntur ipſo jure, & retenta cenſentur, niſi amiſſa eſſe doceantur: qualia ſunt, re, conditione, dignitate mea uti ac frui; exempli cauſa, in meo ædificare, rem meam pro arbitrio vendere, aliaque id genus, quæ nemo impedire poteſt, niſi ſervitutem in fundo meo quæſiverit, aut jus retractus vel pignoris vel aliud jus in rem meam obtinuerit. Atque hæc ejus ſunt naturæ, ut non amittantur non utendo; exempli cauſa ſi neque ipſe, neque majorum meorum quiſquam in avito fundo ædificaſſet, non ideo mihi domum molienti objici poterit præſcriptio à vicino, cujus luminibus ædificando obſtruetur,

neque

Digitized by Google

neque enim illis quæ meræ facultatis ſunt, ullo tempore præſcribitur. Hujus autem naturæ eſt jus Legationis plenum, quod non minus apertè ex jure Suprematus promanat, quam jus ædificandi ex dominio in fundum competente ſequitur. Modus rem meræ facultatis amittendi unicus eſt, voluntaria demiſſio, ſive expreſſa ſive tacita: tacita autem omiſſio cenſetur, ſi quis re in controverſiam deducta, oblataque exercendi occaſione, deſtitit atque uſu juris ſui ſine proteſtatione ceſſit: Nam ſi contradicat, & ſe temporibus atque occaſionibus cedere vel etiam rationes habere teſtetur, cur nunc actu abſtinere è re ſua ducat, ceſſat voluntariæ demiſſionis ſuſpicio; quare tunc jus non amittitur, ne quidem non-utendo. Atque hic eſt uſus proteſtationum ſollennium, paſſim etiam inter Principes frequentatarum, quibus unuſquiſque cavere ſe putat, ne quid juri ſuo decedat. Quæ cùm ita ſint, ad poſſeſſionem Principum noſtrorum in hoc negotio docendam nullis opus eſſet actibus, quoniam ut dixi *res meræ facultatis ipſo jure poſſidentur*, niſi quis jure ſuo his, quibus dixi, modis ceſſiſſe probetur, quod factum à Germaniæ Principibus nemo ſanus aſſeveraverit; conſtat enim Principibus nihil magis curæ cordique eſſe, quàm quicquid pertinet ad tuendam dignitatem; cui nunquam ſponte ac deliberato animo renuntiabunt, quanquam ſæpe aut effuſa humanitate faciles, aut gravioribus diſtracti, aut negligentia torpidi, occaſiones ejus oſtentandæ amittant. Præterea ſi quid hujuſmodi contra Principes allegari poſſet, id deberet actum eſſe à toto Principum Corpore. Neque enim una familia omnibus, imò fortè nec Princeps ullus ſuis ſucceſſoribus in hoc negotio præjudicium facit. Sed non eſt cur in has quæſtiones digrediamur, quando conſtat nihil tale illis vel per ſomnium in mentem veniſſe. Illud verò notabile eſt quod Juriſconſultis animadverſum: ſi plures in eadem ſint cauſa, nec niſi unus in judicio verſetur, unum alteri prodeſſe, ſi cauſam vincat; non nocere, ſi perdat: cujus rei manifeſta ratio eſt, æquitatis vim intelligentibus. Itaque ſi qui Principes juris ſui parum tenaces fuiſſent, eos liquet cæteris re-

rum

rum ſuarum ſatagentibus non eſſe nocituros; at ſi qui lucrati ſunt aliquid, reliquis quoque victoriam communicaturos. Quare non eſt neceſſe, ut illi qui nunc plenum jus Legationis exercere volunt, oſtendant id à majoribus ſuis factum, ſi alii qui melioris conditionis non ſunt, aliquando exercuiſſe doceantur: tametſi nihil ad ipſos pertineat, ſi qui alii oſtenderentur omiſiſſe. Itaque *Actus Electorum ac Principum Italiæ pro actibus poſſeſſoriis etiam noſtris haberi poſſunt*, quoniam in conditione Suprematus, imò & Principis Imperii, diſcrimen nullum eſſe docuimus. Nam ſi pro Germanis ſeparatim, & pro Italis quoque ſeparatim actus exiguntur; expecto etiam ut adverſarii pro quolibet Circulo exempla poſtulent,& actus Principum Circuli Inferioris Saxoniæ, Principibus Circuli Suevici utiles eſſe debere negent. Eodem modo,ſi Electorum actus cæteris Principibus non proſunt; exſpecto etiam, ut actus Principum illorum qui ad Deputationes Imperii ordinarias nominantur, eo argumento quaſi ſcilicet inter reliquos emineant Principes iſti, ad alios porrigi debere negentur. Quæ omnia quam inepta ſint, quivis videt. Nec verò magis Electionis quàm Deputationis ordinariæ qualitas, jura Suprematus auget. Sed etſi actus nobis adeſſet nullus, non ideò minus adeſſet poſſeſſio, quemadmodum ex eorum quæ meræ facultatis ſunt, natura oſtendi; idque ſiquis rationibus juris manifeſti contentus non ſit, palpabiliter evinci poteſt: ecce enim, ponamus Magnum Ducem Meſcoviæ, exutis paulatim gentis moribus, noſtras cæremonias recipere; miſſiſque Legatis inCongreſſibus ac Conventibus intervenire; nemo dubitavit, credo,quin ſalvum atque integrum ſit illi jus ſuum, etſi nunquam uſus eſſet. Longius ibo, ponamus Magnum Neguz, quem vocant, ſive potius Abyſſinorum Regem Legatos ad Cæſarem, ad Reges, imò, ſi Diis placet, Noviomagum mittere, ut Chriſtianos Chriſtianus ipſe ad communia in hoſtes fidei arma capienda exſtimulet; quiſquamne obſecro quaſi poſſeſſione carenti, jus negabit? Imò fingamus Rempublicam aliquam potentem una nocte naſci, velut fungum, nonne illa eodem cum Veneta aut Batava jure

utetur?

Digitized by Google

utetur? Sed non opus eſt fictione, cùm enim non ita dudum, Reſpublica, vel potius abortus Reipublicæ, in Anglia apparuiſſet, Reges inter ſe certârunt, quis prior aut effuſior, in ea colenda eſſet. Fateor hoc temporibus tribuendum, illud tamen conſtat, ſi jure freta fuiſſet, non fuiſſe habituram cur novitatem vereretur. Unde ſatis opinor liquet, in his rebus rationem pro poſſeſſione eſſe, imò qui jus habet poſſidere videri, tametſi nullum actum exercuerit.

CAP. LV.

Ratio cur Itali circa Cæremonialia curioſiores, quam noſtri. Italia eſt fons Cæremoniarum. Itali talia ſtudioſiſſimè captant. Magnus Dux Hetruriæ olim Legationem miſit ad Principes Germaniæ, alio quidem prætextu, ſed revera ut ſibi poſſeſſionem tituli Serenitatis *arte compararet. Varia in his Italorum artificiola. Contrà Germanorum negligentia, tum quòd exterorum cæremoniæ novæ eſſent, & ipſis ignotæ, tum quòd patrios mores retinere mallent, tum denique quod bellum diutiſſimum animos eorum ad curas graviores avertiſſet.* Excellentia *Legatorum, diſcrimina Legatorum & Ablegatorum, cæteræque cæremoniæ huc pertinentes vix nuperrimè ſtabilitæ, & noſtris noviſſimè innotuerunt. Certè non multis abhinc annis* Excellentia *Venetis, Batavis, Sabaudis, Mantuanis Legatis à multis negata eſt, & aliquando etiam honor loci potioris, & primæ Viſitationis.*

AT vero, inquies, reddendam nihilominus rationem videri, cur factum ſit, ut creberrimi habeantur actus Principum Italorum, non æquè Germanorum. Poſſem ſane declinare hanc quæſtionem, quoniam oſtendi, tantùm abeſſe ut numerus actuum ſit inſpiciendus, ut contra potius hoc loco ne unus quidem ſit neceſſarius ad poſſeſſionem: quemadmodum ego in poſſeſſione ſum juris ædificandi in fundo meo, tametſi nunquam ædificaverim. Attamen ut ani-

animis Lectorum penitus ſatisfaciam hoc quoque explicabo: cogitandum eſt nimirum Italos ſemper habitos delitiarum magiſtros; Pictura, Sepultura, Architectura apud ipſos ex vetuſtis ruderibus reſuſcitatæ atque excultæ, in reliquam Europam profectæ ſunt. Muſicam quoque ipſis debemus, imò & religionem, quæ barbarorum animos in Occidente emollivit. Fateor Italos fuiſſe Græcis, quod nos ipſis, id eſt barbaros; certum eſt tamen Italiam velut canalem fuiſſe, per quem his populis Occidentalibus Orientis artes atque opes infuſæ ſunt, uſque adeo ut viticulturam olim, & ſerici conficiendi rationem non ita olim, ad ipſos primum, deinde ad Gallos Germanoſque propagatam videamus. Nimirum, ut Græcia capta ferum victorem cepit & artes intulit agreſti Latio, ita Italia à Francis & Allemannis domita, Francos & Allemannos viciſſim domuit, & vitæ melioris dulcedine cepit. Itaque mirum non eſt, ſi quæ religionis, eadem morum magiſtra Italia, etiam cæremonias nobis peperit, ſubtiliorem diſciplinæ moralis partem. Sed vetera mittamus; illud conſtat, & Serenitatem, & Excellentiam, & honorem Manus atque Præceſſionis ac cæteris Occurſuum, Viſitationum, Comitationum ſubtilitates in Italia natas. Autor libri *della Real Grandezza della Republica di Genoa* contendit primos omnium Genueſes Duces in Italia *Sereniſſimos* appellatos. *Excellentia* qua occaſione certus ac conſtans Legatorum titulus eſſe cœperit, ſupra dictum eſt; cùm ſcilicet Dux Nivernenſis cui ille velut Principi Domus Mantuanæ debebatur, Legatus Henrici IV. eſſet ad Pontificem & Legatus Hiſpanicus æmulatione Galli & Venetus Sabauduſque exemplo Hiſpani eundem titulum certatim ſumpſiſſent. Quouſque curioſitatis proceſſerint in his rebus, id ex *Cæremonialibus Romanis*, & *Magiſtro Camera* Italicè ſcripto, quem aliquoties citavi, intelligi poteſt. Et ſunt illis obſervationes quædam ſubtiles, exteris ſæpe imperceptibiles; exempli cauſa, cum Dux Venetiarum literas Reipublicæ cauſa ſcribit, ad alium Germaniæ aut Italiæ Principem primarium, inſcriptio extrinſecus Latina eſt, *Illuſtriſ-*

luſtriſſimo atque Excellentiſſimo Principi. At Celſitudo aut *Voſtra Altezza* non niſi intus reperitur; quod alius forte negligeret, at Sabaudus, gnarus animi eorum, ægrè tulit. Nam perinde eſt, ac ſi profiterentur ſe Celſitudinem non extra, id eſt publicè, dare velle; ſed intus tantùm, velut privatim, ac nemine teſte. Cum hujuſmodi minutiæ Italis ſuccedunt, mirificè gloriantur; quemadmodum patet ex Itinerario Danielis Eremitæ, qui Coloredo Legato Florentino Comes Itineris fuit circa annum 1609. Nempe Ferdinando Magno Hetruriæ Duce mortuo filius Ferdinandus Coſmus ſucceſſerat, is prætextu colendæ amicitiæ quæ Principibus Germaniæ cum patre fuerat, reapſe, quantum ex tota Legationis hiſtoria intelligi poteſt, ut ſibi *Sereniſſimi* titulum aliaque id genus ab incautis, & talium incurioſis arte eliceret, & poſtea exempla, vel, ut loquuntur, actus poſſeſſorios allegare poſſet, Legatum in Germaniam miſerat. Legatus Cæſare ſalutato primum ad Saxonem ivit; credo quod tunc opportunior calliditati iſti videretur, quanquam & ſitus locorum ita ferret. Inde ad Brandeburgicum itum, ibi cùm forte Landgravium Haſſiæ offendiſſent, atque huic literas à Magno Duce attuliſſent; indignatus ille quod Excellentiæ, non Celſitudinis titulo honoraretur, Legatos ſine reſponſo, ut apparet, dimiſit; nec verò quiſquam ex illis qui in Legatione erant, Celſitudinis nomine Landgravium appellaverat, neceſſitate ejus appellationis apto verborum circuitu declinata. Inde ad Trevirenſem itum, Confluentiæ degentem; Brunſvicenſem adire debebant, ſed obtentui ſumptus peſtis in illa regione metus; vera cauſa, quod honores quos poſtulabant obtinere deſperarent. Elector Trevirenſis Coloredum ſupra ſe in menſa accumbere juſſit, ſed literas diſceſſuro dedit ad Magnum Ducem, quibus ille *Illuſtriſſimi* tantum titulo inſigniebatur. Negavit Legatus tituli mediocritatem ejus magnitudini convenire, à nemine aliter quam *Sereniſſimi* nomine compellatum, nec eum honorem Saxoniæ vel Brandeburgi Electorem denegaſſe; mirum cur ille ſolus tam receptum ab omnibus morem cavilla-

villaretur. Cum ille contra inſtaret & aſſeveraret conceptiſſimis verbis, nullum Italicum Principem trecentis abhinc annis alio titulo à prædeceſſoribus ſuis inſignitum: tum planè Coloredus refragatus eſt, &, literas, inquit, mittere, ſi placet, alio quam me, internuntio mittas; ego meum caput vocare in diſcrimen nolo, quod imminui Principis dignitatem facilè paſſus ſim. Poſtulavit Elector, ut liceret inſpicere à Saxone literas, quibus ut inſcriptum Sereniſſimi nomen vidit, induci ſe paſſus eſt, & literas ſuas ad ſe recepit, mutaturumque ſe fidem dedit, dummodo ſcirent id non judicio aut prava voluntate, ſed more factum. Ægrè habebat illum proculdubio, ſe Electorem Principem non alio quam Illuſtriſſimi titulo honoratum, nec ſi conſtitiſſet Saxoniæ Ducem ampliori honore à Magno Duce appellatum, ulla ſe ratione ad mutationem propoſiti ſui flecti paſſus eſſet. Miſit tamen literas mane quibus *Sereniſſimi* nomen inſcriptum erat. Inde ad Johannem Schweickardum Moguntinum venere. Is quoque Illuſtriſſimi titulum conſpiciens dubitare cœpit, an reciperet, negans eas literas ſibi ſcribi. Præſciebat offenſionis cauſam Coloredus & præmeditata oratione argutè divertit, & quod ſtudio factum erat, id vitio ſcribarum, propria titulorum ignorantium, contigiſſe, nec nomina in tali officio, ſed animos ſpectari ajebat; cum tamen revera non alia eſſet Legationis cauſa quàm ut hæ minutiæ captarentur. Illud quoque pene ridiculum, quod addit auctor Itinerarii, ſe Germanici ſermonis gnarum, ſubinde Electorem auguſtiſſimo titulo compellaſſe, erroremque literarum iterata honorum appellatione eraſiſſe. Ita ſcilicet illi homines noſtros Electores Principeſque ludibrio habebant. Et poſtea Epiphonema addit de hoc Principe: in ſumma, inquit, virum bonum facilè dixeris, in quo nihil ferè reprehenderis quam nimiam facilitatem. A Moguntino ad Herbipolenſem, Palatinum, Wurtenbergicum, ivere; Palatinum morbus detinebat; Unus Wurtenbergicus ambitioni eorum minus ſatisfecit. Nam cum paulo ante Oratorem ad Ferdinandum Coſmum miſiſſet, qui do-

lorem

lorem de morte amici Principis Ferdinandi Magni Ducis teſtaretur, ille expectatione frigidiùs acceptus fuerat, ideo (ait autor) [*Wurtenbergicus Italiæ gravitatis inimica imitatione eadem nos ratione tractavit, qua ſuum eſſe Oratorem tractatum Florentiæ acceperat, noſtraſque nobis artes, velut in aliqua paris magnitudinis æmulatione, reddidit. Stabat ipſe in medio atrii erectus, & nihilo ſecius, quàm ipſe Cæſar immotus, nec advenientibus obvius, nec comitatus abeuntes, quod à cæteris tamen Principibus factum. Nihilominus poſtridie, magis in ſui gratiam, ne intermiſſa patriæ conſuetudo ipſi vitio eſſet, quam amore noſtri, menſa nobiſcum communi uſus eſt. Et à prandio ad ſpectacula Circi educimur, comitante nos fratre ejus; quæ etſi noſtro honori fieri fingerentur, intellectum tamen ea ex neceſſitate fieri, quo equorum habilitati, eadem proximis Ducis nuptiis exhibituri, inſueſcerent. Die tertia à diſceſſuris poſtulatum, ut unum adhuc illi diem largirentur, ſed nec ipſe nec illius nomine quiſpiam affuit, majorque ea die ſolitudo penes nos aulicorum & famulantium, quam ante erat, nec illi ipſi quidem nobiles, qui ante nobiſcum aſſidui erant, ultra videbantur. Jamque fruſtra per vanam cunctationem conſumpto die, tandem nobiles duo aderant, qui pro Duce nuntiarent, ſe toto die diſtentum, non potuiſſe ſimul & ſuæ voluntati & noſtræ exſpectationi ſatisfacere. Coloredus, etſi quàm officioſiſſimè, diſſimulato intellectu, reſponderet, indignari tamen aliquantùm, & irriſos nos dolere. Cujus ego rei cauſam* (inquit autor Itinerarii) *ſtatim ſubjeci, quòd ſcirem certum eſſe ea fuiſſe voluntate Principem, ut nos inviſeret. Nam & de muneribus, quibus nos donaret, cogitaverat. Sed ille quem antea miſſum in Hetruriam dixi, conſtantiùs aſſeverabat, ibi nihil tale ſibi præſtitum, deſineret immodicis honoribus imminuere faſtigium dignitatis ſuæ. Plus apud exteros gravitate quàm familiaritate profici. Ita ſummo mane nullo comitante aulicorum diſceſſimus, ſatis mirati quod ſolus ille nos tam parvo in honore habitos, adhuc pene inani fruſtratione deluſiſſet.*] Hæc au-

tor Itinerarii Daniel Eremita; Ego addiderim, ita meritos homines, qui ideo tantùm venerant, ut Principibus noſtris os ſublinerent, & poſtea domi inter ſuos eorum facilitatem irriderent. Electorem quendam contumelioſè appellat, ejus magnitudinem non niſi bibendi virtute metiendam, excepiſſe Legatos in pedes erectum, & operto ſemper capite, ignorantia magis morum, quam judicii delectu; aliaque id genus habet etiam mordaciora. Digna eſt relatio hæc quæ expendatur, tum ut impoſterum Principes noſtri caveant, ne bonitatem nimis effuſam exteris irridendam propinent, tum ut veræ intelligantur cauſæ, cur Itali potius quàm noſtri, honores ejuſmodi invaſerint. His enim quæ noſtris minuta atque inania viſa ſunt, illi potiſſimum invigilant, & non minùs exultant ſyllaba aut paſſu obtento, quam urbe capta. Hinc etiam intelligi poteſt, pleroſque actus poſſeſſorios, quos contra nos allegare poſſent, vitioſos eſſe, & clam aut precario obtentos, adhibitis ſæpe artificiolis illaudatis, quemadmodum ex Trevirenſi ac Moguntino deceptis, hoc loco conſtitit. Cùm vero Principes noſtri parùm olim Gallorum atque Italorum mores morarentur, mirum non eſt, quòd Germanici potiùs candoris, quàm frivolæ ſubtilitatis rationem habuere; ſed admoniti artium extranearum nonnunquam conſultum duxere gravitate ſe digna, honorem tueri, quemadmodum fecit hic Wurtenbergicus, cæterorum exemplum ſecuturus, niſi fortè miſſo ante in Italiam Oratore, didiciſſet, exterorum faſtum calcandum eſſe alio faſtu. Principum ergo noſtrorum facilitas huic uni rei imputari debet, quòd à Roma cæremoniarum fonte remoti, & parum habentes, quod cum exteris agerent, ignoratione aut neglectu eorum, quæ extra Germaniam inter eos qui Suprematu eminent, obſervari ſolent, patriis moribus inſiſtendum ſibi putavêre. Auſim certè aſſerere in Germaniæ aulis triginta abhinc annis (ne de propiori tempore loquar) conſiliariorum pauciſſimos intellexiſſe vim harum cæremoniarum aut diſcrimina *Legati* atque *Ablegati*, cæteraſque inter exteros viſitationum

Digitized by Google

ac congreſſuum regulas. Et verò præter commercii cum exteris raritatem, diuturnum bellum eos ad graviores curas avertit, & Monaſterii potiùs de recuperandis ditionibus quam aucupandis titulis agebatur; cùm omnis mora perniciosa eſſet, exercitus alienos in ſuo ſæpe alentibus. Præterquam quod ſupra uberrimè oſtendi, Monaſterii fuiſſe non Legatos ad exteros, ſed Deputatos ab Ordinibus ad Imperii Conventum: in quo nihil innovandum, nec à patrio ritu diſcedendum noſtris Principibus videbatur. Huc accedit quòd ſubtilitates cæremoniales, quæ nunc maximè vigent, tunc magnam partem novæ aut certè parum ſtabiles erant. Nondum *Excellentia* Legatorum in Germania recepta erat, nondum eam Nuntius, Cæſareique atque Hiſpani Legati, Sabaudo aut Mantuano tribuebant, nondum omnes Electores ex familiis Sereniſſimis orti à Regibus *fratres* appellabantur, nec Reges à noſtris omnibus *Majeſtatis* appellatione colebantur. Supra audivimus, à Cæſareo ac Hiſpano, etiam Venetis, non ita olim, *Excellentiam* negatam; & eandem controverſiam Memmius quoque qui poſtea Monaſterii cum tractandi poteſtate fuit, paulo antè cum Tuillerio Venetiis legationem obiens Legatis Provinciarum Fœderatarum movit, utcunque à Regis ſui amicis & fœderatis venirent. Hi tamen omnes qui *Excellentiam* Sabaudis, Mantuanis, Venetis, Batavis, negabant, primæ Viſitationis ac Manus vel primi paſſus honorem concedebant. Unus Comes Harcurius longiùs progreſſus, Legato in Anglia Batavo præter *Excellentiam*, etiam honoratiorem domi ſuæ locum, viſitaturo, abnuit. Legatus Mantuanus coram Regibus ſemper caput texit, præterquam apud Hiſpanum; ubi tamen ſe tegunt *Grandes* Hiſpaniæ, quod in Gallia Duces ac Pares non auſint. Notandum eſt etiam hodieque Legatos Regios Ducalibus, ut Sabaudis aut Florentinis, ubique domi ſuæ locum cedere, præterquam Romæ. Denique non ita olim Parmenſis quoque Regiis Legatis Domi ſuæ ſuperiorem locum negare cœpit. Quæ omnia evincunt id quod in Reſolutione ſive Decreto Ordinum Fœderati Belgii ſupra

 cita-

citato annotatum eſt, pleraque cæremoniarum ac diſcriminum hujus generis non niſi hujus ſeculi inventa, noviſſimè demum vix ac ne quidem ſatis ſtabilita eſſe, ac proinde Principibus fraudi eſſe non debere, quod nondum ſatis conſtanter illis uſi ſunt.

Cap. LVI.

Quanquam autem ob rationes prædictas ad probandam poſſeſſionem juris Principum non eſſet opus actibus poſſeſſoriis, *attamen illi quoque nobis non deſunt: Et licet alii qui varia Archiva excutere poſſunt, plures utique producturi eſſent, producam tamen nonnullos ſatis validos mihi notos. Et primum* Lotharingus *nuper docuit multis exemplis, ſibi ab antiquo fuiſſe plenum jus Legationis. Idque nuper Cæſar & Belgii Hiſpanici Gubernator Generalis agnovere. Lotharingum autem eſſe Principem ac Vaſallum Imperii & pleno jure comprehendi ditione Imperii, ex Actis publicis hoc loco oſtendo.*

TAmetſi autem hinc appareat ad ea quæ ipſo jure competant perſequenda, nec exemplis, nec actibus poſſeſſoriis opus eſſe, præſertim ſi occaſiones utendi defuerint, aut res ipſa vel nondum ſatis ſtabilita vel nobis certè non ſatis fuerit explorata, juvat tamen oſtendere, nos ne quidem ſi *exemplis atque actibus* certandum eſſet, judicem vereri. Nolim verò lectorem ex illis qui à me adducentur, metiri illos, qui adduci poſſent. Nam privatus privatim ſcribo, meapte ex penu, nec niſi illa annoto quæ in mentem veniunt, audita nuper aut lecta viſaque: neque enim ſatis otii ad inquirendum nunc fuit, nec olim materiam præparavi quemadmodum alioqui poſtulat argumenti natura. Conſtat autem argumentum aliquod ex tempore aggredienti, non ſolere ſtatim exempla ſuccurrere, quæ in promtu fuiſſent materiam diu meditatam tractanti; præterea ſi dignitatem tot magnorum Principum vindicanti aliquot Archiva patuiſſent, aut paſſim

quæ

quæ opus erat, ſummiſſa fuiſſent, credo copia potius obruerer, quam inopiâ laborarem: talia enim non uno ex loco petenda ſunt; nunc verò paſſa non eſt temporis brevitas, ut auxilia conquirerem quæ majori otio ſervare ſatius duco. Fortaſſe tamen pauca illa quæ dicturus ſum, aliquam convincendi vim habebunt. Non vero repetam quæ ſupra attigi, pertinentia ad dignitatem Magnorum Germaniæ Principum in univerſum; nec alia nova accumulabo, ut, quod etiam à Regibus fratres appellati ſunt (quemadmodum literis quæ in promtu ſunt doceri poteſt) à Cæſare *Serenitatem* accepere, cum maximis Europæ poteſtatibus æquali jure tractavere; contentus hoc loco ea tantum afferre exempla quæ ad jus Legationis eorum unicè pertinent. At primum intelligo Baronem de Serainchamp Miniſtrum Lotharingicum nuper multis exemplis veteribus ac recentibus oſtendiſſe, Sereniſſimos Lotharingiæ Duces ſolitos & mittere Legatos, & recipere pleno jure, à Gallia etiam ſæpe agnito; quod ſcriptum quia in meas manus non pervenit, nec argumentis ejus uti poſſum; itaque ſatis habebo adjicere hoc loco Cæſaris & Hiſpaniæ Regis judicium, cujus interpres eſt Generalis Belgii Regii Gubernator in fidei publicæ, ſive Salvi Conductûs tabulis, quæ Lotharingicis Miniſtris Viennæ ac Bruxellis conceſſæ ſunt; ubi expreſſis verbis *Legati*, & *Ambaſſadeurs* & *Plenipotentiaires* appellantur, quod Galli hactenus recuſavere. Nemo autem dubitare poteſt quin quod Lotharingo conceditur, ad alios quoque magnos Germaniæ Principes pertineat: nam pleraque ſua Lotharingus ab Imperio feudali jure tenet, reliqua etiam Imperio ſummiſſa eſſe, ſatis manifeſtum eſt. Nam generaliter conſtat quicquid Germaniæ, Italiæ, Galliæque Reguli tenent id omne olim aut Pontifici aut Imperio aut Regno Galliæ fuiſſe ſubjectum; ſi quis autem ſe exemtum ferat, probationibus luce clarioribus indigere. Imperium ergo fundatam in omnes intentionem habet, qui Regnis Italiæ, Germaniæ, Arelatenſi, Lotharienſi, comprehenduntur. Præterea Bodinus notat: [Stephanum Bononienſem poſſeſſionem Lotharingiæ

ab Henrico I. Cæſare adeptum, & ſe eo nomine fiduciarium Imperii profeſſum, anno 1019. item Fredericum Lotharingum Vallimontis Comitem, mortuo Carolo Duce ſine prole maſcula, principatum ad ſe jure proximitatis pertinere contendiſſe apud Sigiſmundum Cæſarem coram Patribus Concilii Conſtantienſis ob eam tantùm cauſam quod Imperiale Feudum eſſet, cujus incapax erat Iſabella Caroli hæres, quæ Renato Andium Duci nupſerat; qui & ipſe non quidem negavit Imperiale Feudum eſſe, ſed aſſeruit pleraque id genus ad fœminas delata fuiſſe. Quod ſi Lotharingia Imperii Germanici finibus eſt comprehenſa, neque Comes Aſperi montis, neque Cumarum Dominus quæ Lotharingia continentur, jura majeſtatis ſibi vindicare poſſunt, cum ipſo jure perſpicuum ſit, eos qui agrum certis finibus deſcriptum habent, eodem jure in ſingulos uti, quo in univerſos; niſi ſingulari quondam beneficio immunes ac liberos eſſe tabulis certiſſimis teſtatum ſit.] Hæc Bodinus. Sed Lotharingum Imperii Principem eſſe non aliunde rectius quam ex Chiffletio diſcemus, juris Lotharienſis Hyperaſpiſta, cui ex Archivo Ducis neceſſaria ad illuſtrandam familiæ dignitatem adjumenta ſubminiſtrata ſunt. Exhibet ille tabulas fiduciarias ſive formulam homagiorum, & Tractatum Noribergenſem anno 1542. initum. *Formula Homagii* quod à Duce Lotharingiæ præſtari ſolet, ita habet: *Promitto & juro ad hæc ſancta Dei Euangelia, corporaliter per me tacta, quod ex nunc in antea* fidelis & obediens *ero Vobis Sereniſſimo Principi & Domino ..... Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Domino meo Clementiſſimo, omnibus Majeſtatis veſtræ ſucceſſoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus legitimè intrantibus, & Sacro Romano Imperio; contra omnes homines: & non ero in conſilio, participatione, vel tractatu, ubi quicquam agetur contra Perſonam, honorem aut ſtatum Majeſtatis veſtræ, & Sacri Romani Imperii, neque in id ullo modo conſentiam, ſed bonum, utilitatem & honorem Majeſtatis veſtræ & S. Romani Imperii fideliter promovebo, & ſi quid tractari cognovero contra Majeſtatis Veſtræ Perſonam, honorem & ſtatum,*

hui-

huic pro virili obſtabo & Majeſtatem Veſtram incunctanter admonebo omniaque alia & ſingula faciam ad quæ fideles Principes & Vaſalli Imperii *Domino ſuo Romanorum Imperatori & Sacro Romano Imperio de jure vel conſuetudine tenentur, dolo & fraude penitus ſemotis: Ita me Deus adjuvet & hæc ſancta Euangelia.* Tractatus *Noribergenſis* initus fuit in Comitiis Noribergenſibus anni 1542. inter Ferdinandum I. Regem Romanorum, nomine fratris ſui Caroli V. Imperatoris & Imperii ab una, & Antonium Ducem Lotharingiæ ab altera parte; de ſcientia, conſilio, & aſſenſu Sacri Imperii Electorum, Principum, & Ordinum, & poſtea probatus à Carolo V. Porro ejus tractatus verba ad rem pertinentia hæc ſunt: *Convenimus virtute præſentis Inſtrumenti, ut noſter conſanguineus Dux Lotharingiæ non tantùm cum membris aut Statibus particularibus, dependentibus ex Feudo & Feudo ſubalterno Imperii, verum etiam cum Ducatu Lotharingiæ, & iis quæ ad illum pertinent, tanquam ad Ducatum, nempe Album montem, Muſſipontem & ſimilia, manere debeant impoſterum & in perpetuum ſub tutela & defenſione Imperatoris, Regis Romanorum, & Sacri Imperii, defendique ac protegi eodem modo quo alii Ducatus & Status Sacri Imperii: cujus rei cauſa offert Dux Antonius pro ſe & ſuis hæredibus ferre & perſolvere ratam ſuam portionem de omnibus & qualibuſcunque taxis & contributionibus, quæ imponentur aut concedentur à Statibus Generalibus Sacri Imperii, quod eſt tertia parte minus eò quod uni Principi Electori imponitur. Præterea* pro ſolutione talium Collectarum & contributionum, pro conſervatione Publicæ Pacis erectæ in Imperio, pro Securitate & Salvo Conductu *Cæſareæ Majeſtatis* [is conductus eſt Imperatoris Romam euntis, Römer Zug / ut ipſi ſcriptores Lotharingi apud Chiffletium interpretantur] *& nobis Romanis Imperatoribus & Regibus qui quoque tempore erunt Sacro Romano Imperio ejuſdemque juriſdictioni ſuberunt & ad id ſpectabunt. Alias autem ipſi cum Ducatu Lotharingiæ ejuſdemque ſubditis ab omnibus proceſſibus, mandatis & judiciis Sacri*

Romani Imperii tam in prima quàm in aliis inſtantiis liberi & exemti erunt. Nulliſque proceſſibus, mandatis, citationibus, appellationibus acceptandis, aliiſque negotiis quocunque ſub titulo, nullo excepto (niſi iis, quæ ad ſolutionem collectarum & impoſitionum, ad manutentionem pacis publicæ, & ad Securitatem & ſalvum conductum, uti prædictum eſt, ſpectabunt) relinquentur immunes. Ducatuſque Lotharingiæ cum ſuis appertinentiis liber & non incorporabilis Ducatus erit & manebit ſemper, &c. Ubi notandum eſt, Ducatum Lotharingiæ ſubeſſe Imperio quoad publica, non quoad privata: nempe cum cæteris feret onera publica communis neceſſitatis cauſa indicta, ſcilicet collectas, & quæ Romanæ expeditionis cauſa Imperatori ſolvuntur, ſervabit Pacem publicam & ſuberit ejus executioni: id eſt ſi eam violet, ſubjacebit pœnis in rebelles decretis & proſcribi atque executione Circulari compelli poterit. In privatis verò non ſuberit Imperio, id eſt non poterit à judiciis ejus ad Cameram appellari, neque ipſe quatenus Lotharingiæ Dux eſt, ob debita privata, & ſimiles cauſas, ſed tantùm ob debitas Imperio collectas, aut fractam Pacem in Camera vel judicio Aulico conveniri poterit. Ducatus autem declaratur liber & non *incorporabilis* Imperio, id eſt, non poterit ad Imperium recidere ex jure Feudi aperti, ſed utetur jure hæreditario, quemadmodum quodammodo aliæ quoque in Imperio ditiones, quæ etiam ad fœminas tranſeunt. Ex quibus omnibus patet Ducem eſſe Imperii *fidelem* & *Vaſallum*, ut conſtat ex homagio; ſed & omnes ejus terras in Imperii eſſe clientela, imò quoad publica ejus *juriſdictioni* ſubeſſe, adeoque nullum magni ad Suprematum momenti diſcrimen inter ipſum & alium primarium Imperii Principem allegari poſſe, ut conſtat ex Tractatu Noribergenſi. Eaque eſt etiam ipſorum ſcriptorum Lotharingorum ſententia, quemadmodum ex Chiffletio, & illis quos producit in medium, doceri poſſet; qui etiam fatentur Tractatu Noribergenſi multò plus quam antea immunitatis indultum, quia prius Ducis Lotharingiæ ſubditi ad Cameram trahebantur & mandatis imperialibus vexabantur.

Cap.

Digitized by Google

CAP. LVII.

Tabulæ Salvi Conductus à Cæſare & Gubernatore Generali Belgii Regii, Miniſtris Lotharingis dati, in quibus Legati (Ambaſſadeurs) *agnoſcuntur.*

HOc jam ſtabilito *Lotharingum* eſſe Principem Imperii, cum cæteris (quoad potiſſima) æquali jure utentem; ſubjiciemus jam tabulas publicas Cæſareas & Hiſpanicas in quibus jus mittendi Legati vel Ambaſciatoris, quod illi competit, agnoſcitur.

LEOPOLDUS, *divina favente Clementia Electus Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtenbergiæ, Comes Tyrolis, Sereniſſimis Regibus, Fratribus & Conſanguineis noſtris chariſſimis ſalutem ac proſperrimorum ſucceſſuum continuum ac perpetuum incrementum; Nec non univerſis & ſingulis Electoribus aliiſque Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Præfectis, Præſidentibus, Capitaneis, Locumtenentibus, Vice-Dominis, Gubernatoribus, Caſtellanis, Vexilliferis Antianis & Poteſtatibus ac Urbium, Civitatum, Oppidorum & quorumcunque locorum ac Communitatum Rectoribus, Burgimagiſtris & Conſulibus, nec non portuum, pontium & paſſuum quorumvis cuſtodibus ac aliis qui præſentibus, requiſiti fuerint, cujuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis, conditionis, dignitatis aut praeeminentiæ exiſtant; benevolentiam & gratiam noſtram Cæſaream, ac omne bonum. Cùm Seren. Carolus Lotharingiæ & Barri Dux, Conſanguineus & Princeps noſter Chariſſimus, præſentium exhibitores, ſupremum aulæ ſuæ Præſidem & Conſiliarium intimum, Nobilem Claudium Franciſcum Liberum Baronem de Canon* - - - - Legatum vel Legatos ſuos Plenipotentiarios *ad Tractatus Pacis Noviomagi inſtitutos mittat, Noſque iiſdem ejus Legatis vel conjunctim, vel ſeorſim illuc proficiſcentibus liberum*

berum paſſum, tutum, ſecurum & expeditum iter obtingere, cupiamus, Serenitates ac Celſitudines ac Dominationes Veſtras, alioſque nobis non ſubjectos fraternè, benevolè clementerque hortamur & requirimus, Noſtris verò & Sacri Imperii Regnorumque ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis firmiter mandamus ac præcipimus, ut prædictos Sereniſſ. Ducis ad Tractatus Pacis Legatos Plenipotentiarios conjunctim vel diviſim profecturos, cum famulis, equis, curribus, navibus, ſarcinis ac rebus quas ſecum habituri ſunt, omnibus ubique libere, tutò & expeditè, ire, tranſire, proficiſci, commorari, recedere ac redire ſinant, nec ulla ipſos ſive in perſonis ſive in rebus, moleſtia, impedimento vel injuria afficiant, aut à quoquam affici permittant; quin potiùs ubi neceſſitas poſtulaverit aut ipſi id alias petierint, ſalvo eoſdem conductu, fide & ſecuritate publica, viarum monſtratoribus, equis, curribus, navibus aliiſque ad commodius conficiendum iter hoc ſuum neceſſariis opportuniſve rebus, haud gravatim juvent atque ab aliis pariter id fieri ſedulò curent. Facturi ſunt in eo Serenitates, Celſitudines ac Dominationes Veſtræ aliique nobis non ſubjecti rem ſua æquanimitate ac ſolitâ in Nos obſervantia dignam, nobiſque gratam, reciproco fraterni amoris affectu, Cæſareaque noſtra benevolentia & gratia per occaſionem viciſſim agnoſcendam; Noſtri verò & Sacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditi exſequentur hac in parte ſeriam & expreſſam voluntatem noſtram. Datum in Civitate noſtra Vienna, die ultima Menſis Martii, Anno milleſimo ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum, Romani decimo nono, Hungariæ vigeſimo ſecundo, Bohemiæ verò vigeſimo primo.

LEOPOLDUS.

V[t] Leopoldus Guilielmus,
Comes in Koningſeck. (L. S.)

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium

Chriſtophorus Bever.

DON

DON CARLOS, *de Gurrea, Arragon & Boria, Duc de Villa Hermoſa, Comte de Luna, Gentilhomme de la Chambre du Roy noſtre Sire, Lieutenant, Gouverneur & Capitaine des Pays-Bas & de Bourgogne, &c. A tous Generaux, Gouverneurs de Provinces, Admiraux, Vice-Admiraux, Lieutenants Generaux, Generaux de Bataille, Gouverneurs particuliers, Commandans, Lieutenants Gouverneurs, Chefs, Maiſtres de Camps, Collonels, Capitaines & autres Officiers & gens de Guerre, tant de cheval que de pied, de quelle qualité, nation ou condition ils ſoyent; enſemble à tous autres Juſticiers, Officiers & ſubjects de Sa Majeſté, qu'il appartiendra & ces preſents verront, ou ſeront montrés, ſalut. Comme Monſieur Claude François Baron de Canon, Preſident du Conſeil privé de Monſieur le Duc de Lorraine, & Monſieur le Baron de Serainchamps, Ambaſſadeurs & Plenipotentiaires du dit Seigneur Duc s'acheminent dés le lieu de leur Reſidence vers la Ville de Nimmegue pour le Traitté de Paix; Nous vous mandons & commandons au nom de Sa Majeſté tres-expreſſement, de laiſſer librement & ſeurement paſſer, repaſſer, aller, venir & ſejourner tant par eau que par terre conjointement & ſeparément par tous les lieux & endroits des Provinces & juriſdictions de l'obeïſſance de ſa dite Majeſté eſtant ſoubs noſtre charge & commandement; leur ayant à cet effect accordé, ce preſent paſſeport, ſauf-conduit, & ſeureté, tant pour leur perſonnes, que pour leur ſuite, famille, valets, chevaux, armes, chariots, navires, bagage, equipage, papiers & eſcritures, meſmes pour des Couriers, qui ſeront depeſchés de leur part, pendant la durée de l'aſſemblée & conference, qui ſe fera pour le dit Traitté de Paix; leſquels pourront auſſi aller, venir & retourner ſeurement & librement tant par eau que par terre, ſans qu'ils puiſſent eſtre faits priſonniers ny arreſtés ſoubs aucun pretexte en faiſant apparoir de paſſeports & ſauf-conduits particuliers qu'ils auront pris des dits Sieurs Ambaſſadeurs & Plenipotentiaires, voulans qu'au contraire il leur ſoit donné toute l'ayde, faveur & aſſiſtance, dont ils pourroient avoir beſoing pour plus grande facilité*

Digitized by Google

cilité & commodités des dits courſes. Fait à Bruxelles le 7 de Juin 1677. Signé, *Villa Hermoſa*, *Duc de Luna*, & cacheté du cachet du Roy & contreſigné, *Verreiken.*

Cap. LVIII.

Alii Actus exerciti ab Archi-Ducibus Auſtriæ *ut ab Alberto* Burgundiam & Brabantiæ *Ducatum tenent. Ejus Legati in Anglia Venetis cedere noluere, & Hagæ, cum de induciis ageretur, noviſſimè venientes, à Legatis Regis Galliæ ſunt primum viſitati; conſtat autem Ducem Brabantiæ fuiſſe jam olim, & Ducem Burgundiæ factum à Carolo V. Principem Imperii, & habere locum in Collegio Principum, ideò cauſa Auſtriacorum & Burgundorum communis eſt cum cauſa Principum cæterorum; ideò Nuntius quoque Monaſterii Miniſtro Auſtriaco locum potiorem negavit ſe viſitanti, per imperitiam Rerum Germanicarum; quòd crederet Principibus Germaniæ non competere jus Legationis, adeoque nec Auſtriacis. Itaque Seren. Domus Auſtriaca Principum cauſæ favere debet, ne ſibi ipſi noceat.*

COEperam à Lotharingo exemplum arceſſere, quoniam illius occaſione mota primum à Gallis controverſia eſt, ſed ſi ordine dignitatis agendum erat, utique à Sereniſſimis *Auſtriæ Archi-Ducibus* incipiendum videbatur, quibus plenum jus Legationis competere multis exemplis oſtendi poteſt. Suffecerit autem producere Archiducem Albertum, cui cùm Infante Hiſpaniarum Iſabella Clara Eugenia Belgium certis conditionibus in dotem datum erat: ejus certè Legatis ubique idem qui Regiis (ne quid dicam de Electoralibus) honor habitus eſt, imò *Frater* appellabatur à Rege Galliæ, multò ante Electores, quemadmodum ſupra notavimus. Et in Anglia anno 1612 Legatus ejus Boiſchotius cum Veneto de loco ac dignitate certavit, allegans rempublicam ſine controverſia majoribus Domini ſui ceſſiſſe, cum non niſi

Bur-

Burgundiæ Duces eſſent. Idque verum eſſe arbitror, nam ſupra cap. 44. ex Cæremoniali Romano oſtendi, *Ducem Burgundiæ* antepoſitum eſſe Duci Venetiarum Reipublicæ perſonam referenti. Rex Jacobus controverſiæ hujus inter Legatum Archiducis & Venetum ſe judicem eſſe nolle declaravit & pari utrumque apud ſe honore eſſe ſcripto teſtatus eſt. Cum de Induciis Belgicis tractaretur & Henricus IV. Præſidem Jeanninum, poſtea Archi-Dux Audientiarium Verreiken Hagam miſiſſet, ſcripſit Jeanninus Regi ſuo (ultimo Julii 1607.) ſe (more conſueto) primæ viſitationis honorem Verreikio (qui noviſſimus venerat) habiturum fuiſſe, ſed veritum ne ſuſpicacibus jam tum populorum animis major ſermonum materies præberetur. *Negotiations du Preſident Jeannin Part.* 1. *pag.* 262. de l'edition de Hollande; *Le Preſident Jeannin avoit écrit par un avis pris entre nous, que pour ne mettre en jalouſie ces peuples, ils ne l'iroient viſiter les premiers, attendu auſſi qu'il ne venoit ſi non avec les Lettres de Spinola, & non comme Ambaſſadeur des Archiducs; outre ce qu'on avoit mandé d'Anvers, qu'il avoit commandement de ne voir perſonne, ayant dit & repeté ces meſmes propos à pluſieurs dépuis ſon arrivée, & comme s'il l'eut fait pour s'excuſer de voir les Miniſtres du Roy dont ils ont mauvaiſe opinion, qui nous faiſoit apprehender de le voir & de n'eſtre aprés viſitez de luy. Toutesfois luy ayant eſté oüi le* 24, *& parlé au nom des Archiducs ſes Maiſtres, nous avons conſideré que s'il n'eſtoit point viſité du tout, il ſe pourroit plaindre d'eſtre traité comme Miniſtre d'un Prince ennemy, ainſi qu'il eſtoit expedient de le faire viſiter par Monſieur de Ruſſi qui eſt ordinaire & a la charge de reſider prés de Meſſieurs les Eſtats, qui adjoûtera que ſi les Sieurs Jeannin & de Buzanval ſe ſont abſtenus de l'aller voir juſques alors, que ce n'eſtoit faute d'affection, mais pour avoir plus de moyen de le ſervir*, &c. Ex quibus patet ſi ſuſpicio abfuiſſet, Legatos Regios Archiducalibus primæ viſitationis honorem fuiſſe habituros, & quia excuſavêre abſtinendi neceſſitate, jus agnoviſſe. Poſtea certè cum rediiſſet Audientiarius cum Patre

Fran-

Franciſcano & correctam ratihabitionem Hiſpanicam nomine Archi-Ducum attuliſſet, Legati Regis eum primi viſitavere, ut patet ex literis Jeannini ad Bernium Miniſtrum Gallicum Bruxellis morantem ultimo Octobris 1607. Et poſtea cùm Spinola & Richardotius præſes veniſſent, hos quoque primus viſitavit Jeanninus, ut ipſe ſcribit [à Monſieur de la Boderie Miniſtre du Roy en Angleterre 5 *Fevrier* 1608.] Porro ne quis cauſam Archiducum & cæterorum præcipuorum Germaniæ Principum non eſſe communem arbitretur, ſciendum eſt, Archi-Duces eſſe in Collegio Principum, ac Ferdinandum Grazienſem, aut Carolum Marchionem Burgavienſem aut Leopoldum Epiſcopum Argentoratenſem nunquam majori honore cultos, quàm qui cæteris Germaniæ Principibus ditiones amplas tenentibus, habetur. Nec Albertus cenſeri poterat, niſi Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ, &c. dotali jure poſſeſſor, qui ſunt Imperii Ducatus aut Principatus: *Brabantia* olim ſine controverſia, pariter atque aliæ ditiones; Burgundia autem & Flandria ſaltem ex quo Franciſcus I. omni jure renuntiavit; & Carolus V. omnes illas ditiones in peculiarem Circulum redactas, Imperio Tranſactione Auguſtana ſubjecit. Et verò cauſam Archi-Ducum Ducumque Burgundiæ eandem eſſe cum noſtra apparuit Monaſterii, cum Nuntius Comiti Wolkenſteinio Miniſtro in Collegio Principum Auſtriaco honoratiorem locum domi ſuæ concedere noluit, quòd crederet Principibus Germaniæ non competere jus Legationis, imperitiâ rerum Germanicarum, quam ei Wolkenſteinius rectè objecit: cum ſcire deberet, Auſtrios & Burgundos olim ante Venetos fuiſſe, hodie illis fortaſſe non eſſe ceſſuros: Principes autem Germaniæ amplarum ditionum poſſeſſores eodem quo Duces Italiæ aut Venetam Rempublicam jure Suprematus frui: certè Electoribus hac in parte non eſſe inferiores: *quare Sereniſſima Domus Auſtriaca cogitet ſuam quoque hic cauſam agi, ne ſi quorundam perverſis ſuaſionibus impulſa Principum juri adverſetur, ſibi ipſi præjudicium creet.* Porro olim Duces Burgundiæ nec Electoribus ceſſere, & in Con-

Concilio Baſileenſi Epiſcopus Baſileenſis Legatus Philippi Burgundi ante Electorales locum tenuit Decreto Patrum: in Comitiis quoque Ratisbonenſibus anni 1471. Caroli Burgundiæ Ducis Legati Electoralibus cedere negantes, ſeſſionem extra ordinem obtinuere (vide ſupra cap. 44.) Et in Cæremoniali Paridis de Graſſis ſæpe à me citato Dux Burgundiæ ante Electores & Venetos ponitur, Dux Auſtriæ, poſt Electores ante Venetos. Itaque quod Electoribus hodie conceditur, quanto minus illis negabitur, qui dudum ante Electores aut Venetos prærogativam habuêre.

CAP. LIX.

Actus aliorum quoque Principum; *exempli cauſa,* Landgravii Haſſiæ *&* Ducis Wurtenbergii, *qui cum Regibus quibuſdam & Hagæ Mediatores ſive conciliatores Induciarum fuêre inter Hiſpanos & Batavos. Et cum Hiſpani ad Mediatores ſcribentes, tantùm literas Legatis Gallis & Anglis inſcripſiſſent, Legati Galli curavere, ut adderentur Electores & Principes Germaniæ. Guilielmus* Dux Juliacenſis & Clivienſis *Legatos miſit ad* Franciſcum I. *Denique* Ducis Bavariæ nondum Electoris *Legati in Concilio Tridentino cum Venetis de ſeſſione certavêre, & ante Helvetios & Florentinos poſſeſſionem prærogativæ tenuêre; & proteſtati ſunt, ſe aliorum quoque Principum jus hac ratione velle conſervare.*

SEd ne quis putet aliorum Germaniæ Principum nobis exempla deeſſe, ideò operæ pretium erit notabilem huc afferre locum ex Negotiationibus Præſidis Jeannini paulò ante citatis. Nempe Hagæ cum de Pace vel Induciis tractaretur anno 1608. aderant Legati quorundam Electorum Principumque Germaniæ, qui Regiis, Gallis, Anglis, Danis juncti, velut Mediatores agebant. Hi communi omnes nomine literas dedere ad Præſidem Richardotium Legatum Archi-Ducalem, Pacis promovendæ cauſa 10 Octobris ejus

ejus anni, ſubſcriptio eorum hæc eſt: *Vos tres-affectionés Serviteurs les Ambaſſadeurs des Roys Tres-Chreſtiens, de la grande Bretagne & de Dennemark, & des Princes Electeurs Palatin, de Brandebourg, & Landgrave de Heſſen.* Poterat ne quicquam fieri ſolennius quo agnoſceretur, jus Legationis Principibus noſtris æquè ac Regibus eſſe? Sed exſtat aliquid multo adhuc expreſſius. Richardotius initio cum ſcripſiſſet Mediatoribus, literas tantùm Legatis Regiis inſcripſerat, ſed Jeanninus uſus conceſſa ſibi poteſtate, adjecit inſcriptioni etiam Electorum Principumque Germaniæ Legatos, *l'Addreſſe de voſtre Lettre* (ita ſcribit Jeanninus Richardotio) *n'eſtoit qu'aux Ambaſſadeurs d'Angleterre & à nous, & j'ay fait adjoûter à la ſuperſcription, des Electeurs & Princes d'Allemagne, craignant qu'ils ne ſe fuſſent offencez de cette obmiſſion.* Adfuerat & Legatus Wurtenbergicus; ſed ille jam tunc diſceſſerat. Nec dubito, qui Achiva excuteret, innumera Legationum à Principibus noſtris pleno jure atque honore miſſarum exempla reperturum; Autor Gallus libelli cujus titulus eſt, *Memoires & Inſtructions pour ſervir dans les Negotiations & affaires*, cum notaſſet pag. 294. Principes Imperii, uti titulo *Dei Gratia*, & Legatos mittere ad Reges ac Principes exteros, addit poſtea pag. 268. Guilielmum *Ducem Juliacenſem ac Clivienſem* anno 1540. Legatos (Ambaſſadeurs) miſiſſe ad Franciſcum I. Sed & *Bavariæ Dux* multo ante quàm Electoratum obtinuit, Legatos optimo maximo jure mittebat: notatum eſt in Concilio Tridentino Bavaros Venetis controverſiam loci moviſſe, quemadmodum ipſe Venetorum Hiſtoriographus Petrus Juſtinianus fatetur; ſed rem diſtinctè admodum expoſuit Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini, ex qua illud quoque diſcimus, Bavaros ante Helvetios & Florentinos locum tenuiſſe. Is ergo lib. xvi. cap. 6. *Arrivarono à Trento due mandati dal Duca di Baviera, l'uno con titulo* (d'Ambaſciadore) *ch'era il Doctor Agoſtino Baumgartner, l'altro Giovanni Cavillonio Theologo della Compagnia di Gieſu, viſitando eſſi i Legati eſpoſer loro di tener inſtruzio-*

ne,

ne, che l'Ambaſciador non cedeſſe ad altri Oratori ſalvo di Rè, ò d' Elettori Imperiali, onde non poteva ſtar ſotto à quei di Venezia. I Preſidenti riſpoſero che quella Signoria godeva due Regni. Replicarono eſſi che per aventura, il lor Principe comprendeva nel ſuo intendimento gli Oratori Veneziani fra i Regii, ma che non per tuttociò era parte loro il far queſta interpretatione: che havrebbono ſcritto di cio al Duca, e che fra tanto per non incorrere in lite deſideravano di preſentare loro mandati in una congrega nella quale i Veneziani foſſor contenti di non intervenire. Idem eodem libro cap. 10. *In più ſtretta neceſſità gli poneva la riſpoſta venuta per dianzi all' oratore Bavarico, nella quale il Duca gli comandava, che ſe non haveſſe grado ſopra i Veneziani, ſi partiſſe immantenente: il che portava con inevitabile neceſſità uno di due grandiſſimi danni, percioche ſatisfacendoſi al Duca ſi venivano à perdere gli Ambaſciadori d'una Signoria ch'era il principal baloardo della religione in Italia e l'unico ſoſtegno di eſſa in Grecia. Et ſatisfacendoſi à Veneziani ſi perdevano gli Oratori d'un Principe ch'era l'appoggio della medeſima religione in Germania: anzi venivanſi à perdere inſieme per aventura con tal eſempio gli Oratori di tutti i Principi Tedeſchi, eziandio Eccleſiaſtici, à titolo che ſi foſſer negate le dovute onoranze à quelli di lor Nazione. Et allora fù che i Legati preſero tempo d'informarne il Pontefice, e lo fecero con la celerità d'un corriere, proponendo gli d'inviar meſſo a poſta che pregaſſe il Duca a ſuo nome di quella condeſcenſione in Beneficio del Chriſtianeſimo con rappreſentargli le ragioni della convenevolezza. Significarongli anche, eſſer acconcia all' intento una preſente opportunità, mentre il Bavaro dovea ritrovarſi à Praga il giorno decimoquinto di Giugno per la Coronazione del Rè di Bohemia ſuo cognato: ove potrebbono concorrere ad eſpugnarlo i conforti dell' Imperadore, procurati da ſua Santità col mezzo del Nunzio Delfino.* Ex his locis intelligitur Bavaros Legatos ita fuiſſe inſtructos domi, ut in Concilio non niſi Regiis & Electoralibus cederent; cum vero dubitaretur an non ſub Regiis comprehendi poſſent Veneti, ob Regna duo *Cypri &*

Creta quæ tenebat Reſpublica, poſtulavere Bavari ut ipſi interim audirentur in congregatione, à qua Veneti abeſſe vellent, de reliquo ſe Dominum miſſo Celeri conſulturos; qui cum retuliſſet poſtea mandatum Ducis, ut, loco ſupra Venetos non impetrato, diſcederent, Legati Pontificis non parum perplexi Papam per curſorem conſuluere ac propoſuere, ut per Cæſarem Nuntiumque Delphinum Bavarus tentaretur; ne vel reſpublica religionis propugnaculum in Italia ac Græcia, vel Bavarus ejus defenſor in Germania offenderetur. Ita tandem Bavarus perſuaderi ſe paſſus eſt, ne Synodus Eccleſiæ religionis cauſa congregata profanis litibus turbaretur: Itaque permiſit ut Venetus locum quem ante Bavari adventum habuerat, retineret, proteſtatione interpoſita nihil ſuo aut Principum Germaniæ juribus indulgentia ſua decedere debere. Sed audiamus Cardinalem lib. 17. cap. 4. *Nella competenza fra i Veneziani e i Bavarici ricorſe il Pontefice all' interpoſizione di Ferdinando: il quale ricordaſſe al Duca Alberto ſuo genero che la Republica di Venetia era veramente Rè, e ſtava in poſſeſſo, che i ſuoi Oratori otteneſſero luogo immediato doppo quello de gli altri Rè. Ma in ſi fatto litigio che tocca la più ſenſitiva parte de' Grandi, ricusò di porne la mano l'Imperadore, ſe non con Ufficii aſſai generali; e più ſcrivendo le propoſizioni de' Preſidenti* [Legati Pontificii nel Concilio] *al genero, che trattandone al nome ſuo proprio confortollo tutta via che non cagionaſſe diſturbo al Sinodo. Ne ciò ſenza frutto. l'Oratore de Duca hebbe in fine comandamento di cedere à Veneziani, ma con proteſto che ciò faceva per non turbare il concilio e ſenza pregiudizio del ſuo Signore, E coſi venne accolto nella congregazione à vinti ſette di Giugno e proteſtoſſi allegando molti argomenti che il ſuo Principe doveſſe precedere à quello Signoria, come di haver nella ſua familia là dignità Electorale: e d'havervi goduta ancora l'Imperiale. Alla qual proteſtazione s'oppoſe quivi con un' altra* Nicolò *da Ponte Primo Ambaſciadore Veneziano, dicendo che quella precedenza era debita onoranza per ſempre alla ſua Republica, e non liberale condeſcenſione al tempo.*

L'uno

L'uno e l'altro ſi regiſtrò negli atti: e la competenza giunſe à tale, che'l Bavaro negò la copia della ſua Orazione, perche l'havea prima negato il Venetiano.] Proteſtationis Bavaricæ formam exhibet Petrus Juſtinianus quemadmodum & reproteſtationis Venetæ. Bavarus allegat domum ſuam ab Imperatoribus, Regibus, Electoribus, originem traxiſſe; nolle tamen de priore loco certare in Concilio, in quo de pietate agitur; & ubi humiliatione Deus eſt implorandus, ut Eccleſiæ ſuæ miſereatur. Ea tamen lege ac ſolenni proteſtatione præmiſſa, ut hoc ipſum poſthac in quibuſvis Conventibus ſuæ Celſitudinis ejuſdemque poſteris *cæteriſque Germaniæ Principibus Electoribus ac Ducibus* nulla ratione vel modo præjudicare poſſit vel debeat. Unde patet ipſum Bavarum judicaſſe cauſam ſuam cum aliis primariis Germaniæ Principibus eſſe communem, quod etiam Patres Concilii judicabant; ideóque contra Bavarum pronuntiare verebantur, ne Germaniæ Principes univerſi offenderentur, ut notat Cardinalis. Eandem fuiſſe Ferdinandi I. ſententiam judicat idem, ideóque tantum Bavarum rogavit, ut aliquid condonaret publico rei Chriſtianæ bono. Sed ſicut Bavarus Veneto poſſeſſionem (ſaltem ut Juriſconſultorum vocabulo utar, momentaneam) ceſſit, ita eam ſupra Helvetium Florentinumque Coſmi Ducis Hetruriæ Legatum obtinuit. Nam inter hos duos convenerat ut alternis congregationibus adeſſent; at Bavaro ſuperveniente effectum eſt à Patribus, ut ambo pacis ſtudio tantiſper congregationibus cederent, Bavaro ſolo actibus interveniente. Cardinalis dicto loco ita habet: *Con queſta rimeſſione dell' Orator Bavaro le differenze per ſuo riſpetto rimaſero piu toſto mutate, che quietate; perche havea ricevute commeſſione di partirſi, ov' egli non precedeſſe all' Ambaſciadore Elvezio ed' al Fiorentino; onde i Legati (Pontificii) à fatica impetrarono dall' Elvezio che non compariſſe finche di ciò aviſaſſe i ſuoi Signori, e ne riceveſſe nuovi comandamenti: e pregarono il Papa a fraporſi col Duca Coſimo; il cui Oratore in aſſenza dell' Elvezio ſoleva intervenire.* Ex his intelligi poteſt, nemini vel per ſom-

nium in mentem veniſſe, ut Bavariæ Duci, tunc *nondum Electori* vel alteri cuidam magno Germaniæ Principi jus Legationis plenum negaretur; imò contrà caviſſe Patres & Cæſarem ipſum ne in eo cæteri Germaniæ Principes offenderentur. Illud utique conſtat, etſi Legatus ejus Veneto ceſſerit, parem tamen in ambobus fuiſſe Characteris honorem, præſertim cum Florentino non ceſſerit ſed ipſi pariter atque Helvetio prælatus videatur.

Cap. LX.

Scriptum in quo nomine Ducis Neoburgici *oſtenſum eſt Jus Legationis plenum Principibus Germaniæ æquè ac Electoribus competere; & amborum Miniſtros in Tabulis pacis Weſtphalicæ, Fœderis Rhenani, & alibi paſſim communi nomine Legatos fuiſſe appellatos & habitos ſine diſcrimine.*

SUpra multis oſtendimus Electorum Principumque reliquorum Legatos aut Miniſtros in eodem fuiſſe honore, iis denique nominibus appellatos in Tractatibus Præliminaribus Hamburgenſibus, in ſubſcriptione Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ; Fœderis Rhenenſis, aliiſque multis Tractatibus atque occaſionibus; ſed quoniam id uberius deducitur in brevi ſcripto, quod à Miniſtris Sereniſſimi Ducis Neoburgici Legatis Mediatoribus Anglis communicatum fuiſſe intellexi; ea qua conceptum eſt, lingua, adjicere placet:

Bonnes & valables raiſons, qui font voir que les Miniſtres que les Princes doivent envoyer aux Traittés de Paix qui ſe font à Nimmegue, ont autant de droit de pretendre la qualité d'Ambaſſadeurs, (que les Roys de France & de Suede par une nouveauté mal fondée leur refuſent dans leurs paſſeports) que ceux des Electeurs *& qu'on ne peut pas bien obliger les Princes de l'Empire à renoncer à leurs legitimes pretenſions ſur ce ſubject.*

„ 1. Les Princes de l'Empire poſſedent effectivement au meſme

meſme degré que les Electeurs la Souveraineté de leurs "
Païs avec les droits qui en dependent comme entre autres "
Jus Legationum, & par conſequens faudra-t-il reſpecter "
leurs Miniſtres, auſſi bien que ceux des Electeurs, comme "
des Ambaſſadeurs, quand ils les employent en cette qualité "
& qu'ils ſont reveſtus de ce Caractere. "

2. Les Princes ont indubitablement, de meſme que les "
Electeurs, *Jus belli & pacis, itemque Fœderum* non ſeule- "
ment de toute ancienneté, mais auſſi par les Traittés de Paix "
qui ont eſté faits avec les Courronnes de France & de Sue- "
de & par conſequent *Jus mittendi Legatos*, comme ceux "
que l'on employe le plus ſouvent en de pareilles rencon- "
tres, & ſans leſquels on ne peut rien negotier. "

3. Dans les Conſtitutions de l'Empire, comme auſſi "
dans les reſolutions & les Decrets de l'Empereur l'on "
donne aux Miniſtres des Princes la meſme qualité qu'à "
ceux des Electeurs ainſi que la practique journaliere le "
témoigne. "

4. Le meſme s'eſt fait dans l'Inſtrument de la Paix de "
Weſtfalie, ainſi que cela paroiſt par le 17. Article du "
Traitté entre l'Empereur & la France, *ubi Cæſarei & Re- "
gii Ordinumque Imperii Miniſtri expreſſè vocantur Legati "
& Plenipotentiarii.* "

5. Or puiſque alors dans un congrés pareil à celuy qui "
ſe fait preſentement à Nimmegue l'on n'a point fait de dif- "
ference ſur ce ſubject, on ne la doit pas former non plus "
preſentement. "

6. D'autant moins qu'il n'appartient pas aux Couron- "
nes eſtrangeres, de changer les couſtumes de l'Empire, ny "
de revoquer en doute les droits indiſputables dont les "
Princes de l'Empire jouïſſent tous les jours, ny de s'at- "
tribuër l'arbitrage à donner à l'un ou à l'autre tel traite- "
ment qui leur plaira, ce qui ne peut ſervir qu'à cauſer de "
la défiance entre les membres & d'autres facheuſes con- "
ſequences. "

7. Donques de meſme que le Roy de la Grande Bre- "

„ tagne comme Mediateur a trouvé bon de donner dans les „ Paſſeports la qualité d'Ambaſſadeurs aux Miniſtres des „ Electeurs, l'on s'aſſeure qu'il ne jugera pas moins juſte „ & raiſonnable de faire donner la meſme qualité aux Mi- „ niſtres des Princes, *cum inter Electores & Principes Impe- „ rii extra caſum Electionis & quoad jura communia quale „ Legationis hocce jus eſt, nullum intercedat ſupradictum „ diſcrimen, quippe cum omnes illi membra ſint ejuſdem cor- „ poris, ſeu Reipublicæ; iiſdem vivant legibus, par iis ſit in „ ſubditos ac Vaſallos ſuperioritas, eadem jura belli, Pacis, „ Fœderum, & per conſequens idem jus Legationum, ea- „ dem dignitatis nomina comparentibus in Comitiis Electorum „ & Principum Legatis.*

„ 8. On a veu de tout temps, que les Princes de l'em- „ pire ont tousjours envoyé leurs Miniſtres auprés de l'Em- „ pereur, des Roys, des Princes, ou aux aſſemblées qui „ ſe ſont faites, avec la qualité de *Legati* ou bien avec un „ moindre caractere, ainſi qu'ils l'ont jugé à propos, *leſ- „ quels* ont eſté auſſi reconnûs, receus & traittés en cette „ qualité, en ſorte qu'on ne peut deſiſter en cette rencon- „ tre, puis qu'il depend entierement de celuy qui depute „ & non du bon plaiſir d'aucun autre de donner au Miniſtre „ qu'il employe telle qualité qu'il luy plaiſt.

„ 9. Sur quoy les Princes de l'Empire ſe ſont tousjours „ reglés, & cela ſe trouve dans les Archives des Princes „ auſſi bien que dans les actes imprimés de Londorpius: & „ dans les lettres que les Roys de France & de Suede ont „ écrites aux Electeurs & Eſtats de l'Empire, l'on ne „ trouvera point qu'on ait fait de difference entre les Mini- „ ſtres des Electeurs & ceux des Princes à l'égard des ti- „ tres; ſur quoy l'on peut voir entr'autres les lettres de la „ Reine Chriſtine de Suede du 22. Mars 1641. & du 23. „ Avril 1653.

„ 10. Il ſe voit meſmes par le texte des lettres de re- „ creance que quand quelque maiſon des Princes a envoyé „ des Miniſtres à la Cour d'un Roy avec la qualité de Le-

gats,

gats, ils y ont eſté receus & traittés en cette qualité, leur "
ayant eſté donné dans les expeditions le meſme predicat. "

11. Et lors qu'en l'an 1658 l'on negotia l'Alliance "
du Rhin & que dans la minute qu'on avoit dreſſée l'on "
euſt inſeré les deux qualités de Legati & Deputati, on a "
à l'inſtance de ceux qui ſe trouverent à Francfort de la "
part des Princes effacé le mot de Deputés, pour precau- "
tionner que l'on n'en puſt tirer quelque conſequence pre- "
judiciable à la grandeur & dignité des Princes: de ſorte "
qu'on fit donner le meſme tiltre aux Miniſtres des Prin- "
ces qu'à ceux des Electeurs, ainſi que pluſieurs s'en ſou- "
viennent fort bien encore. "

12. Comme auſſi qu'il y a environ huit ans, que quel- "
ques Electeurs & Princes, ayant fait une deputation pour "
moyenner un accommodement entre les Roys de France "
& d'Eſpagne, l'on donna les meſmes lettres de Creance "
ſi bien aux Miniſtres des Electeurs qu'à ceux des Princes; "
ſans y ſouffrir aucune difference; auſſi ont ils eſté traittés "
à la Cour des Roys de la meſme maniere, ſans donner "
aucune prerogative à ceux des Electeurs par deſſus ceux "
des Princes. C'eſt pourquoy l'on n'en devroit point "
maintenant faire de difference. "

13. Les auteurs François diſent eux meſmes que les "
Princes de l'Empire poſſedent entre autres droits celuy "
d'envoyer des Ambaſſadeurs. Voyez les Memoires & "
Inſtructions pour ſervir dans les negotiations & affaires, "
& dont l'auteur dit en la page 294. de l'edition de Hol- "
lande *que les Princes de l'Empire prennent dans leurs lettres* "
le tiltre, par la grace de Dieu, qu'ils envoyent des Ambaſ- "
ſadeurs vers les Roys & Princes étrangers, &c. Et y ad- "
jouſte en la page 298, *Guilliaume Duc de Juliers & de* "
Cleves, en l'année 1540. *envoya ſes Ambaſſadeurs vers le* "
Roy François I. de ſorte que ſelon leur propre témoigna- "
ge l'on ne peut pas raiſonnablement faire difficulté de "
donner la qualité d'Ambaſſadeurs aux Miniſtres que les "
Princes envoyent. "

„ 14. On n'allegue point que les anciennes familles des „ Princes ſeculiers ne cedent en rien quant à l'ancienneté „ de leur extraction, condition & dignité, droit & pre„ rogatives aux familles des Electeurs; ainſi qu'entr'eux, ils „ ſe ſont touſjours reconnus pour tels & les eſtrangers n'y „ ont jamais fait aucune difference: Meſme il y a quelques „ familles de Princes qui ont poſſedé leurs Païs & terres „ pluſieurs centaines d'années pluſtoſt que quelques Ele„ cteurs, ayants gouverné des grandes & conſiderables Pro„ vinces *abſolutâ & regia quaſi manu*, leſquelles ils ont aprés „ incorporées à l'Empire.

„ 15. Et bien que le pouvoir d'élire un Empereur, ou „ un Roy des Romains, ſoit cedé à quelques uns des Prin„ ces, qu'on appelle maintenant Electeurs, les Hiſtoires „ font pourtant aſſés voir, comment cela s'eſt fait; comme „ auſſi, que cela n'a rien diminué des droits & de la dignité „ des autres Princes de l'Empire & que cela n'y a pas pu „ prejudicier, s'y eſtans touſjours maintenus juſqu'à pre„ ſent, auſſi n'y a-t-il jamais eu de different entre les Ele„ cteurs & les Princes au regard du Caractere d'Ambaſſa„ deur, Legat, ou Deputé.

„ 16. Et bien que l'on pûſt alleguer que Meſſieurs les „ Electeurs ſont honorez de plus hauts tiltres que les Prin„ ces de l'Empire, & qu'on leur donne le rang & la preſſean„ ce à cauſe des charges qu'ils poſſedent dans l'Empire, il „ faut pourtant ſçavoir que des honneurs qui ſe rendent à „ leurs charges, l'on ne peut point tirer de conſequence „ pour les droits meſmes, ny de bonne preuve contre ce „ que nous ſouſtenons. Neantmoins les Princes de l'Empire „ peuvent faire voir par pluſieurs eſcrits qu'ils ont eſté trai„ tés par des puiſſances eſtrangeres avec les meſmes hon„ neurs, & qu'ils en ont receu les meſmes tiltres que les „ Electeurs.

„ 17. Et il ne s'agit pas ſimplement icy des tiltres & de „ la qualité: mais il y va auſſi des droits qui y ſont attachés „ inſeparablement; mais quant aux mots d'Ambaſſadeur,

Legat,

Digitized by Google

Legat, Envoyé, Deputé, Plenipotentiaire, il eſt cer- "
tain qu'ils ont eſté ſouvent confondus, & qu'autrefois on "
n'y a pas tant fait de difference. On peut voir dans le Re- "
cés de l'Execution de Nurenberg de l'an 1650. que par- "
my les Miniſtres qui s'y trouverent, il y en eut quelques "
uns qui ne prirent point du tout de qualité; en ſorte que "
parmy ceux des Princes il n'y eut que celui de Wurtenberg "
qui prit la qualité de Deputé: là où celuy qui y eſtoit de la "
part de la Ville de Francfort y fut traitté de Legat, bien "
que la liſte de ce qui devoit eſtre reſtitué & qui fut concer- "
tée par quelques Miniſtres des Electeurs & des Princes "
pendant la meſme aſſemblée de Nurenberg, fuſt ſignée "
des Miniſtres des Princes auſſi bien que de ceux des Ele- "
cteurs ayant tous la méme qualité de Legats. *Hactenus* "
illud Scriptum.

CAP. LXI.

Excerpta ex Apologia Gallorum olim pro Electore Trevirenſi edita, quibus jus Suprematus, Fœderum, Legationis *Principum noſtrorum multis exemplis, & ſæpe cum exaggeratione ſtabiliunt. Scriptum illud prodiit publica autoritate.*

QUoniam autem in his rebus magnam vim habet confeſſio eorum cum quibus diſputamus, inprimis ſi aliis temporibus quibus nemo de præſenti controverſia cogitabat eis exciderit, & tunc indubitabilis habita fuerit, ideò operæ pretium erit huc afferre excerpta ex Apologia quam Galli edidêre pro Philippo Chriſtophōro, Electore, Archi-Epiſcopo Trevirenſi, & armis ſuis ejus defendendi aut potius ulciſcendi cauſa ſumtis. Hic enim primarius fuit color, cur anno 1635. Pacem cum Auſtriaca domo, antea utcunque ſervatam, abruperint. Ea Apologia poſtea inſerta eſt libro Lutetiæ Pariſiorum apud Cramoyſi typographum Regium Lupareæ Typographiæ præfectum cum privilegio Regis, in folio, ut vocant, edito anno 1665. Cui titulus eſt: *Memoires*

Digitized by Google

& Inſtructions pour ſervir dans les negotiations & affaires concernant les droits du Roy de France. Ubi pag. 175 habetur diſſertatio, cujus titulus eſt: *Juſtification du procedé de l'Electeur de Treves & quelle eſt la liberté* des Electeurs de l'Empire & autres Princes d'Allemagne *de faire des Traitez & Alliances avec tous les Princes de la Chreſtienté*; ubi expreſſis verbis quoad Suprematum Regibus æquantur, & plenum jus Legationis ipſis adſcribitur. Quod ſcriptum ſive Manifeſtum cum publicam quodammodo autoritatem habet, tanto minus à Gallis certè recuſari poteſt, quanquam à nobis omnia quæ de rebus Imperii habet, minimè probari poſſit. Porrò quæ excerpſimus, ita habent:

L'Empereur Maximilian I. bon & ſage Prince, diſoit ordinairement, que des Rois de la Chreſtienté l'un eſtoit Roy des aſnes, l'autre Roy des hommes; mais que l'Empereur eſtoit Roy des Rois: *qualifiant Roys les Princes de l'Empire, & de verité ils ſont Rois de leur eſtabliſſement & de leur authorité ſur leurs ſubjets, & ſur l'Empereur meſme, lequel eſt Empereur par eux.*

Les Marques de cette puiſſance & Authorité paroiſſent non pas en des Privileges, mais aux grands pouvoirs & aux libertez qu'ils ont dans l'Empire, libertez d'autant plus grandes & aſſeurées qu'elles ne ſont point eſcrites, que dans l'uſage ordinaire & tres-ancien, & ne ſont point accuſez de crime quand ils les obſervent & quand ils en uſent, comme veut faire aujourd'huy l'Empereur contre l'Electeur de Treves pour le Traité qu'il a fait avec le Roy.

Les Princes de l'Empire ont autant de pouvoir dans leurs Eſtats que l'Empereur dans l'Empire.

Ils ont pouvoir ſur la vie, biens & honneurs de leurs ſubjets.

Ils peuvent contracter librement des mariages avec les Princes eſtrangers ſans le ſceû de l'Empereur, quand bien il ne l'auroit pas agreable, ils ne ſont pas meſmes obligez de luy obeïr.

Ils prennent dans leurs lettres le titre: Par la Grace de Dieu.

Digitized by Google

Ils envoyent des Ambaſſadeurs vers les Roys & Princes eſtrangers.

Ils peuvent lever des gens de Guerre non ſeulement pour leur propre deffenſe & conſervation, mais pour aſſiſter leurs amis.

Ils peuvent fortifier leurs villes, & conſtruire des places fortes aux limites de leurs Eſtats.

Il leur eſt permis de faire des traitez entre eux & avec les Princes eſtrangers: non ſeulement pour mettre ordre à la paix publique, & pour leurs affaires communes, mais pour rechercher leur protection, pourveu qu'il ne s'y faſſe rien au prejudice de la Republique.

Pour l'execution de cette liberté & prerogative, ils ont droit de faire des aſſemblées, ſans eſtre obligez d'en demander permiſſion à l'Empereur.

Nous avons un traité fait l'an 1324 *par le Duc d'Auſtriche Leopold, avec le Roy Charles le Bel, par lequel il luy promet de le faire eſlire Roy des Romains: pour puis aprés eſtre promeu à l'Empire.*

En l'année 1338 *Albert & Othon Freres, Ducs d'Auſtriche tant pour eux que pour leurs deſcendans, firent un Traité avec le Roy Philippe de Valois, par lequel ils luy promirent de luy eſtre bons, & fideles amis & de l'aider envers & contre tous, fors contre le S. Empire.*

En l'année 1430 *Frederic Duc d'Auſtriche, de Stirie, & autres Seigneuries promit mariage pour ſon fils Sigiſmond avec Radegonde fille du Roy Charles VII. & enſuite il promit de faire la guerre contre les Bourguignons & le Roy d'Angleterre, en faveur du Roy de France.*

Ces exemples ſont d'autant plus notables qu'ils ſont de divers Princes de la maiſon d'Auſtriche, qui ne creurent pas lors avoir beſoin de l'authorité de l'Empereur.

Albert Duc de Baviere, Comte de Hainaut & de Hollande ne rechercha point le conſentement de l'Empereur lors qu'il traitta le Mariage de Guillaume d'Oſtrevant ſon fils avec Marie de France filles de Charles V. l'an 1373. *& en ſuite du*

ma-

mariage, il fit un Traité pour la defenſe du Roy & du Royaume de France tant pour luy que pour ſes enfans.

En l'année 1532 l'Electeur de Saxe & ſon fils, les Ducs de Baviere, le Landgrave de Heſſe & autres Princes Allemans aprés pluſieurs aſſemblées, firent un Traité de Ligue pour la conſervation des Droits & Libertez du Saint Empire, ils envoyerent pluſieurs fois en France requerir le Roy François I. de vouloir entrer avec eux en cette Ligue, qui n'alloit que pour empeſcher que Ferdinand Roy de Boheme fuſt eleu Roy des Romains pendant la vie de l'Empereur Charles V. ſon Frere; ce qui eſtoit contre les Privileges de la Bulle d'Or, les Couſtumes anciennes & la dignité de la Nation Germanique: neantmoins l'Election ſe fit, en ſuite de laquelle Guillaume Duc de Baviere, biſayeul du Duc de Baviere qui eſt à preſent, donna pouvoir, tant pour luy que pour les autres Princes liguez avec luy, de traiter une ligue avec ledit Roy François I. au cas qu'ils fuſſent moleſtez pour s'eſtre oppoſez à cette Election. On ne peut pas s'imaginer que l'Empereur euſt donné ſon conſentement à ce Traité de ligue, & à ces oppoſitions.

Guillaume Duc de Juliers & de Cleve en l'année 1540 envoya ſes Ambaſſadeurs vers le Roy François I. qui traiterent une ligue deffenſive perpetuelle pour leur ſecours. Le Cardinal de Tournon & le Chancelier Poyet furent commis de la part du Roy pour faire ce Traité.

Maurice Duc de Saxe Electeur & les Principaux Princes de l'Empire traiterent avec le Roy Henry II. à Chambor l'an 1551. En ſuite de quoy le Roy Henry entra dans l'Allemagne, & depuis ce temps nos Rois rentrerent en la poſſeſſion des Villes de Mets, Toul & Verdun.

Les Princes Proteſtans d'Allemagne envoyerent en France un ſecours notable en faveur de ceux de la Religion pretenduë reformée en l'année 1571. les meſmes Princes favoriſans le feu Roy, lors Roy de Navarre, firent entrer en ce Royaume un notable ſecours, qui perit en partie à Auneau.

L'Empereur ne donna jamais ſon conſentement à ce ſecours ſi l'on ne veut croire qu'il ait favoriſé ceux de ladite Religion au

Digitized by Google

au prejudice de la Ligue, dont le Roy d'Eſpagne eſperoit tirer ſeul de l'advantage.

En l'année 1586 les Electeurs & Princes Proteſtans d'Allemagne, & les Villes Imperiales, comme Straſbourg & Ulm envoyerent une grande Ambaſſade vers le Roy Henry III. pour ſe plaindre de ce qu'il avoit revoqué ſon Edict fait en faveur des Hugenots, & pour le ſupplier de reſtablir ce qui avoit eſté revoqué. Les Ambaſſadeurs furent fort mal receus par le Roy, non pas parce que l'Empereur ne les avoit pas authoriſez, mais parce qu'il avoit fait dans ſon Eſtat ce que tout Prince Souverain fait abſolument, & ordonné ce qu'il luy plaiſt, & connoit eſtre utile pour le bien de ſes peuples.

Au traité de Hall fait en Fevrier 1610 entre le feu Roy Henry le Grand, & les Electeurs Palatin & de Brandebourg & autres Princes & Eſtats de l'Empire unis, ces Princes furent ſommez de declarer s'ils entendoient deferer aux mandemens qui pourroient venir de la part de l'Empereur & de ſe départir pour cela de la deffenſe de la cauſe, qu'ils avoient entrepriſe, ils declarerent qu'ils demeureroient fermes en leur union, ſans avoir eſgard à aucun mandement, ou Ban qui puiſſe venir de la part de l'Empereur.

Quelques Electeurs & Princes Allemans en l'année 1612 firent un Traité avec le Roy d'Angleterre pour la conſervation des Duchez de Juliers, Cleves, Berg, & autres. Ces Princes aprés avoir declaré que ce qu'ils faiſoient, eſtoit pour le bien de l'Empire, & pour la conſervation de l'authorité de l'Empereur, traiterent une alliance deffenſive & reciproque avec le Roy, qui promit à ces Princes un ſecours ſpecifié au Traité, & ces Princes reciproquement. Au mois de May 1631 l'Electeur de Baviere ſeul contracta avec le Roy une ligue deffenſive. Le Roy promettoit le deffendre luy & ſon païs, avec les troupes y ſpecifiées & luy au reciproque. Et par un article, il eſt dit que ce traité eſt licite & permis par le droit de nature, & convenable au Roy & audit Electeur, lequel reſerve le ſerment par luy fait à l'Empereur & à l'Empire.

Les Princes Proteſtans en 1613 firent un Traité de Ligue defen-

defenſive avec les Eſtats Generaux des Provinces Unies des Païs-bas, avec baucoup d'articles qui contiennent particulierement les ſecours mutuels que les traitans ſe doivent rendre. En ce Traité il eſt parlé de l'Empire, comme de la France, de l'Angleterre, & du College Electoral; mais il n'eſt point fait mention de l'Empire en ſorte que ces Princes creuſſent avoir beſoin de l'authorité de l'Empereur pour rendre leur Traité valable. Hactenus illud Manifeſtum. Quod etſi ſubinde nimium detrahat Cæſari, (quod in Gallia mirum non eſt,) illud tamen utiliter accipimus, quod fortiſſimis expreſſionibus tuendæ Principum noſtrorum dignitati, & ſtabiliendo *Legationis Juri* dicitur. Nec video quid ſolidi à Gallis ei eludendo afferri poſſit; niſi affectus nudare, & fateri velint ſe nulla juris ratione habita, pro ſuis tantùm commodis & temporum facie ratiocinari.

Cap. LXII.

Legatio Ducis Holſatiæ à Suecis maximis honoribus excepta. Tres Legationes Neoburgici ad Polonos. In prima Legatus ejus tractatus ut Mantuanus, in duabus noviſſimis Excellentiam *habuit à Legatis Regiis. Texit ſe coram Rege & noviſſimè coram Regina ſorore Cæſaris, & per omnia cum Regiis & Gallis & Suecis pari jure uſus eſt. Legatio quorundam Electorum & Principum ad Regem Galliæ 1667 promovendæ pacis cauſa. Miniſtri eorum in Gallia eodem modo tractati. Rex Chriſtianiſſimus majorem Electoribus & Principibus honorem exhibet quàm Cæſar.*

EX noviſſimis Legationibus non eſt opus memorare hoc loco illam ſatis ſplendidam, quam quondam Holſatiæ Dux Fridericus in Moſcoviam Perſiamque miſit commerciorum cauſa; quoniam quid Moſcus aut Perſæ conceſſerint, apud nos exemplum non facit. Illud tamen annotare operæ pretium eſt, ad Narvam urbem Suecicam venientibus 18 Maii 1634 Legatos Suecicos in Moſcoviam deſtinatos Hen-

Henricum Fleming, Ericum Gyllenſtierna, & Andream Bureum multo comitatu una ab urbe leuca obviam veniſſe, cæteraque eos velut magni Principis characterem referentes, omnibus honoribus coluiſſe, diſploſis cum intrarent tormentis. Utraque Legatio iiſdem cæremoniis à Ruſſis excepta eſt, cum facile eſſet Suecis, qui aliquot ſeptimanarum ſpatio præceſſerant, avertere animos Moſcorum per ſe ſatis in re cæremoniali difficilium, ſi quidem ipſis in mentem veniſſet, Principes Germaniæ præcipuos non eodem quo Reges gradu, jus Legationis habere; ſed ad propiora veniamus. Cum anno 1646 Uladiſlaus Rex Poloniæ cum Maria Ludoviſia Mantuana nuptias celebraret, comparuere ſolenni pompa Epiſcopus Arauſionenſis Legatus Ducis Mantuæ, proximi Reginæ cognati, & Epiſcopus Poſnanienſis Legatus Neoburgici qui Regis ſororem duxerat; ambo à Rege pariter atque exteris Legatis æquali honore habiti. Nuper duos ejuſdem Neoburgici Legationes ſolenni apparatu miſſas Polonia vidit: unam anno 1669, alteram anno 1674 in utraque Legati ejus ſplendide excepti & magnificè culti ſunt. Texêre caput coram Rege; poſterior etiam coram Reginâ Cæſaris ſorore. Nec ullâ ſolennium obſervatione à Regiis Legatis diſtincti ſunt; nam & *Excellentiam* ipſis dedêre Legati Regum, & cæteroqui circa viſitationem & loci honorem, pari jure uſi ſunt; nemine tunc ne quidem ſuſpicante quicquam, de controverſia, quæ nunc biennio poſt ſerò movetur; poſtquam res ampliùs integra non eſt. Hoc quidam ineptè ſic excuſant, quòd Legatus Neoburgicus à Coronæ Candidato venerit, ideóque liberaliùs ſit habitus: quaſi verò candidatum eſſe jus tribuat, aut dignitatem ambientis augeat; cum etiam Piaſtus, id eſt privatus, modò ingenuus atque indigena, in Polonia Candidatus eſſe poſſit. Neque vero Legatos magnorum Regum erga alios Miniſtros circa *Excellentiam & Viſitationes locumque* liberales eſſe ſolere, conſtat ex tot concertationibus acerrimis, quarum aliquas nos quoque hoc loco memoravimus. Ita ſcilicet affectus viros etiam prudentes in tranſverſum rapit, ut quid dicant, nihil

nihil penſi habeant. Antequam finiamus, operæ pretium erit attingi Legationem, quæ Electorum quorundam Imperii atque Principum nomine promovendæ pacis cauſa quæ poſtea Aquis-Grani concluſa eſt anno 1667. ad Regem Chriſtianiſſimum miſſa erat. Equidem ambigi poteſt Legati fuerint an Ablegati (*Ambaſſadeurs ou Envoyez*) nam nî fallor Ablegati ab ipſis Dominis habiti ſunt; in Gallia tamen Rex medium tenuit; nam quoniam hactenus non erat conceſſum Electorum Principumque Germaniæ Miniſtris, ut ſe coram Rege tegerent, ideò Rex eos recepit ipſemet ſtans detecto capite, ne ipſis tegendi ſeſe occaſio vel prætextus eſſet. Simile apud Reginam temperamentum adhibitum, ne quis Regem caſu ſtetiſſe ſuſpicaretur. Sed & recredentialibus Tabulis miſſio hæc *Legatio* appellabatur. Illud conſtat, cùm quinque fuerint Plenipotentiarii, tres fuiſſe ab Electoribus, duos à Principibus; neque à Rege Chriſtianiſſimo diſtinctionem inter eos factam: Et qui nuper pro Sereniſſimi Electoris Brandeburgici jure mittendi plures æquali poteſtate Legatos ſcripſit, hoc exemplo uſus eſt, quod utique claudicat ſi Plenipotentiarii iſti non Legati ſed Ablegati fuere, ipſi enim autori de Legatis ratiocinari propoſitum erat. Itaque quoniam ipſe alibi innuit Monaſterii diſcrimen inter Principum atque Electorum Legatos fuiſſe receptum (quod ſupra fusè refutavimus) argumentum hoc in ipſum valebit, præſertim cum hoc loco dubitare videatur, jure an injuria Principes ab Electoribus diſtinguantur, ſed verba ipſius adducere pretium operæ erit; ſunt enim notabilia, quia allegat nullam inter Electorum atque Principum Legatos, tunc in aula Gallica factam fuiſſe diſtinctionem, quamvis eam Miniſter Cæſareus facere voluerit. Et addit, notum eſſe, ſemper Regem Galliæ plus honoris Electoribus atque Principibus Imperii exhibere, quàm Cæſar ſolet. Quæ omnia prorſus ad rem noſtram pertinent. Quod vero addit Miniſtrum Cæſareum eos diſcriminaſſe, id ſi Ablegati fuere, inane fuit, conſtat enim Ablegatos Regum Principumque non ſolere honorum genere diſtingui; ſin Legati habiti

ſunt

ſunt, non fuit in ejus poteſtate diſtinguere eos qui pari jure pro indiviſo gaudebant, & collegæ cenſebantur. Sed hoc miſſo verba autoris hujus adducamus, ita ergo ille: *Conſiderons ſeulement, de quellé façon ſa Majeſté tres Chriſtienne à traitté les cinq Plenipotentiaires, qui luy furent envoyez l'année 1667. de la part de la Mediation, qu'en ce temps-là avoient entrepris l'Electeur de Brandebourg avec les autres Electeurs, & quelques Princes de l'Empire pour moyenner la paix, la quelle peu aprés s'enſuivit, & fut concluë à Aix la Chapelle; le Roy, auſſi bien que ſes Miniſtres n'ont fait aucun ſcrupule de traitter leſdits cinq Plenipotentiaires comme eſtans envoyés d'un corps, munis d'un meſme pouvoir, & pourveus d'un meſme caractere, tous eſgalement ſans faire entre Eux la moindre diſtinction, laquelle autrement l'en auroit pû faire avec bien plus de raiſon & avec plus de pretexte entre ces cinq Plenipotentiaires envoyez de divers Maiſtres, qu'on ne le ſçauroit faire entre deux Ambaſſadeurs d'un meſme Maiſtre, pourveus & munis tout deux de meſme pouvoir & de meſme caractere. Non obſtant que le Sieur Vica Plenipotentiaire de ſa Majeſté Imp. qui en ce meſme temps fut à la Cour de France, fit entre les dits cinq Plenipotentiaires non ſeulement une ſeparation, mais auſſi une aſſez grande & tres eſſentielle difference (ſoit qu'il l'aye fait avec ou ſans fondement) en traittant les trois Premiers qui eſtoient envoyez de la part des Electeurs, tout autrement, que les deux autres qui l'eſtoient des Princes. Un exemple d'autant plus remarquable qu'il s'eſt fait en même temps en France à la veuë du Roy & de ſes Miniſtres, ſans que ceux cy pour cela l'ayent voulu ſuivre pour faire entre les dits cinq Plenipotentiaires cette diſtinction-là, laquelle y fit le ſuſdit Miniſtre de l'Empereur. Si les Ambaſſadeurs de France vouluſſent ſeulement conſiderer cet exemple, ils en ſeroient convaincus, que c'eſt ſans raiſon, de vouloir faire en ce lieu icy de la diſtinction entre deux Ambaſſadeurs d'un meſme Maiſtre l'Electeur de Brandebourg, pourveus d'un meſme pouvoir & caractere.* Et comme il eſt notoire, outre ce que le dit exemple le veri-

P ſie,

Digitized by Google

ſie, que la Majeſté Tres-Chreſtienne a tousjours fait plus de civilité & d'honneur aux Electeurs & aux Princes de l'Empire & de leurs Miniſtres, que non pas Sa Majeſté Imp. *qui eſt-ce, qui le pourra comprendre que les Ambaſſadeurs de France refuſent ſur le congrés icy, à ceux de Brandebourg ce que l'Empereur & ſes Ambaſſadeurs y accordent aux Ambaſſadeurs dudit Electeur, & qu'ils obſervent avec eux ſans aucune difficulté.*

Cap LXIII.

Galli ipſi Neoburgiços *Miniſtros in literis Salvi Conductus, Anglico Miniſtro jam traditis, vocabant* Ambaſſadeurs : *ſed poſtea revocavere ſine idonea ratione. Galli profeſſi ſunt ſe facturos erga Principes idem quod Cæſar. Cæſar verò declaravit ſe Principum Miniſtros agnoſcere Legatos cum charactere. Supereſt dubitatio de quibuſdam cæremoniis. Sed quia eas Cæſar conceſſit Electoribus non obſtante magno inter ſe & ipſos diſcrimine, concedet & Principibus niſi Electores minus ſibi ſubjectos fateatur. Fruſtra allegatur Electores non cedere Legatis Regiis domi ſuæ, at Principes cedere. Nam quidam Electores ceſſere aliquando, imò & Reges; quidam Principes non ceſſere. Dubium, an Legatus Regius cedat Principi Condæo & Johanni Auſtriaco, à Lionnæo examinatum. Rex putabat cedere eos debere Condæo; quanto magis ergo noſtris Principibus qui habent Suprematum, non tantum ut ille perſonalem, ſed & realem & territorialem. Legati Electoris Saxoniæ Oſnabrugam venientes Cæſareos & Suecos viſitavere primi non exſpectata viſitatione ipſorum. Ergo Electores quoque non ſemper jure ſuo uſi.* Regula de Viſitatione noviſſimi *olim incerta ex relatione Grignani Franciſci I. Legati Romæ. Quod attinet ad* locum potiorem, *cum Legatus* Brunſvicenſis *in Deputatione Francfurtenſi* 1555. *ab Epiſcopo Wormatienſi, Legato Cæ-*

Cæſareo, habuit. Itaque actus poſſeſſorios omnibus modis habemus.

SEd miſſo hoc ultimo exemplo, quod in controverſiam vocari poteſt, ad ſuperiora redeamus. Nimirum Galli, cum viderent Sereniſſimum Neoburgicum triennio abhinc ſine controverſia obtinuiſſe, ut Legati Regii Legatos ejus *Excellentiæ* appellatione cæteriſque ſolennibus honorarent, neque negare poſſent Epiſcopum de Beziers, mox Archi-Epiſcopum Toloſanum, hodie Narbonenſem, Cardinalem Bonzium; & noviſſimè, biennio abhinc, Epiſcopum Maſſilienſem, Cardinalem deſignatum, in re manifeſta manus dediſſe, perplexi ſatis erant. *Quoniam enim profeſſi erant ſe poſſeſſioni ſimpliciter inſiſtere velle, & jus Legationis Lotharingi agnoſcere, ſi exempla Gallica afferre poſſet, ideo cogebantur & Neoburgico concedere quod illum per ipſos Gallicos Miniſtros habuiſſe, noviſſimo exemplo conſtabat.* Itaque in tabulis fidei publicæ ſive Salvi Conductus pro Miniſtris Neoburgici ſcriptis, quas Legato Anglico Mediatori jam in manus conſignaverant Galli, nomen Legatorum (*des Ambaſſadeurs*) expreſſum erat. Et fama erat eos Neoburgicum à cæteris Principibus, Brandeburgicum à cæteris Electoribus ſeparare velle: ſed uti poſteriores cogitationes ſolent eſſe ſapientiores, animadverterunt Galli, quam abſurdum futurum eſſet, ſi eos qui omni jure ac propria confeſſione æquales erant, inepta argutatione diſtinguere conarentur; itaque declaravere idem cæteris Electoribus, quod Brandeburgico, idem cæteris Principibus quod Neoburgico jus fore; nec aliud remedium erroris admiſſi invenêre, quam ut Literas Salvi Conductus Neoburgicis deſtinatas, quæ caſu adhuc apud Mediatorem Templium reperiebantur, revocarent; quaſi vocabulum *Ambaſſadeurs* negligentia ſcribentium irrepſiſſet. Quæ excuſatio omnibus aliena viſa eſt, quoniam conſtabat Gallos paulo antè in hoc ipſo nomine concedendo difficillimos ſe præbuiſſe, neque Lotharingo quicquam indulſiſſe. Quare ſi juris rigore cum ipſis agen-

Digitized by Google

dum eſt, cauſam vicimus: nam faſſi ſunt Neoburgicum in poſſeſſione eſſe, & poſſeſſionem habenti jus deberi (quoniam ex hoc capite literis nomen Ambaſciatorum inſeruere;) porro faſſi ſunt quoque qui in eadem cauſa ſunt, eos pari honore frui debere (quia literas Neoburgicis deſtinatas revocavere, ne cæteris quoque Principibus concedere cogerentur) itaque ſi primo ſuo judicio ſtabunt & parte poſtremi, jus Legatorum in cæteris quoque Principibus Neoburgico non inferioribus agnoſcere non detrectabunt. Præterea Galli teſtati ſunt, ſe quod Cæſar Principibus Germaniæ indulgeret, non recuſaturos. Atqui Cæſar profeſſus eſt jus ipſis eſſe mittendi Ambaſciatores cum repreſentatitio charactere, neque id à ſe in controverſiam vocari, quod hactenus Galli fecêre. Tantum circa cæremoniarum minutias à miniſtris Cæſareis dubitatum eſt. Sed hoc quoque quod reſtat controverſiæ, facilè compoſitum iri credo: nam conſtat non minus ſubmiſſionem ab Electoribus, quàm à cæteris Principibus Cæſari deberi; nihilominus Cæſar Electorum Legatis *Excellentiam*, & *Viſitationes* & *locum* viſitantibus *honoratiorem* indulſit. Quare non habet cur Principibus difficiliorem ſe præbeat, niſi Electores ſibi minùs ſubjectos fateatur. Et fruſtra ſunt, qui allegant olim Cæſareis Regiiſque Legatis Principes ceſſiſſe domi ſuæ, non vero Electores; ut ſcilicet diſcrimen aliquod undecunque exſculpant: utrumque enim aliquando falſum eſt. Nam multis exemplis conſtat aliquando Principes non ceſſiſſe domi ſuæ Legatis Regiis, & contra aliquando Electores ipſis ceſſiſſe. Conſuli poteſt exhibita ſupra hiſtoria itineris Danielis Eremitæ, cum Legato Florentino. Et Elector Saxoniæ aliquando Nuntio Gallico (ne ablegatum quidem profeſſo) in menſa ſua ceſſit; & Rex ipſe Daniæ Legatos Cæſareum & Regium ſibi aliquando antepoſuit. Idem indulſit aliquando Hetruriæ Dux Legato Hiſpanico, cujus exemplum ſupra adduximus. Archi-Epiſcopus Ambrunius Legatus Regis Chriſtianiſſimi ad Catholicum Regem aliquando ceſſit Johanni Auſtriaco in ipſa Johannis Auſtriaci domo, quod tamen Cæſareus Legatus face-

facere noluerat. Ideo etiam Ambrunius à Lyonnæo reprehenſus eſt, vel ideo quòd conſtaret Holliſium Anglum, & Legatum Venetum Principi Condæo ne in loco quidem tertio cedere voluiſſe; quæ demonſtrant quàm ambigua ſint hæc omnia. Sed operæ pretium eſt adducere ipſa Lyonnæi verba ſcribentis Regi ſuo, ſumta ex ſcriptis quibuſdam penultimo bello Belgico interceptis. Sic ergo ille: *Je voy par la derniere depéche de Monſieur l'Archevêque d'Ambrun, qu'il a fait une trés grande faute d'avoir viſité Don Jean d'Auſtriche, ſans avoir eu la main droite chez luy. L'Ambaſſadeur meſme de l'Empereur ne l'a pas voulu faire, ny luy en montrer l'exemple: & ledit Seigneur Archeveſque ſe laiſſe vilainement duper ſur trois fondemens faux. Car je ne crois pas qu'il ſoit vray, comme ledit Archeveſque le mande que Don Jean d'Auſtriche ait precedé en Flandres l'Archi-Duc Leopold, ny que Don Jean ait precedé en lieu tiers Monſeigneur le Prince, & que Monſeigneur le Prince ne donne pas icy la main chez luy aux Ambaſſadeurs des teſtes Couronnez. Un Ambaſſadeur de France ne doit point demeureur d'accord de cette pretention Chimerique, que ce Prince tienne le rang des enfans de Caſtille; & ledit Archeveſque n'a peu vivre avec Don Jean, que comme le Marquis de la Fuente auroit veſcu icy avec Monſieur de Vendoſme, qu'il pretendoit meſme preceder en lieu tiers. Nous avons veu Monſr. Hollis & l'Ambaſſadeur de Veniſe ne vouloir pas ſe trouver avec Monſeigneur le Prince, pour ne luy pas ceder. Cependant Monſieur d'Ambrun va chez Don Jean, qui eſt d'une condition inferieure à celle de Monſeigneur le Prince, & chez luy meſme luy cede la main. Il n'y a plus d'autre remede à une choſe faite, ſi ce n'eſt qu'afin que les Eſpagnols n'ayent pas ſujet de ſe mocquer du Roy, & de ceux qui ont l'honneur de le ſervir, comme ils ſe ſeront mocquez dudit Archeveſque, ſa Majeſté mande à celuy-cy; qu'elle a fort deſapprouvé ſa conduite en cette occaſion, & luy en diſe les raiſons & qu'aprés elle luy ordonne de faire entendre dans Madrid, qu'il a receu des deffences de plus viſiter Don Jean, s'il ne luy donne la main dans ſa maiſon, & meſme qu'il a or-*

dre de ne luy pas ceder en lieu tiers. Comme les Ambaſſadeurs des teſtes Couronnées ne veulent pas ceder icy à Monſeigneur le Prince, qui doit bien tenir un plus grand poſte qu'un fils naturel d'un Roy. Rex Lionnæo ita reſpondit : *le Roy approuve tout cecy, pourveu qu'on ne parle point de la difficulté que font les Ambaſſadeurs de ceder à Monſeigneur le Prince, laquelle il ne faut pas autoriſer.* Quod ſi ergo Rex Legatos Regios vult cedere Principi Condæo, poteritne velle ut præcedant Principes Germaniæ, qui habent Suprematum & realem & perſonalem? cùm Condæus tantùm perſonalem habeat. Et certè Italiæ Duces Legato Regio nec Domi ſuæ cedunt. Eodemque jure uſi ſunt Bavarus nondum Elector & Neoburgicus, aliique apud nos Principes, quod paucis ex Collectaneis de Legatorum jure Gallicis, verſatiſſimi in his rebus viri, docere operæ pretium erit. Ita ergo ille: *L'an 1633 les Eſtats envoyerent Gaſpar de Vorbergue en qualité d'Ambaſſadeur à l'Electeur de Cologne, à l'Eveſque d'Oſnabrug & au Duc de Neubourg. Le Duc receut l'Ambaſſadeur dans l'Antichambre, & le mena à la chambre, où il luy devoit donner audience, prenant tousjours la main & le pas ſur luy. En ſe mettant à table, le Duc prit la premiere place, & fit témoigner à l'Ambaſſadeur, qu'il ne l'avoit jamais donnée à l'Ambaſſadeur des Provinces Unies; qu'il avoit traité de meſme façon le Comte de Grimbergue que l'Infante luy avoit envoyé & que meſme chez luy il ne cedoit point la main au Nonce ny aux Ambaſſadeurs de la maiſon d'Auſtriche, mais ſeulement à celuy du Roy d'Eſpagne* [irregularité manifeſté, mais ſans doute purement arbitraire] *qu'il ne ſe trouveroit pas qu'aucun des Electeurs ſur le Rhin l'euſt fait: qu'ils eſtoient un peu plus punctuëls & difficiles au ſujet des ceremonies, que les Electeurs de Saxe, & de Brandebourg.* L'auteur adjoûte cecy: *Le Duc avoit raiſon en ce qu'il pouvoit prendre chez luy les meſmes avantages, que les Ducs de Savoye & de Mantouë & le Grand Duc ſe donnent chez eux ſur les Ambaſſadeurs: mais je ne ſçay pas s'il ſe pouvoit mettre en parallele avec les Electeurs* [pourquoy non en cecy, puiſque les Ambaſſa-

baſſa-

baſſadeurs de Savoye, de Mantoüe & de Florence font la meſme choſe.] *Ce que le Duc de Neubourg dit, que les ceremonies ſont mieux reglées dans les Cours qui ſont plus voiſines de la France & de l'Italie, eſt tres vray. La Cour de Dreſde a tousjours eu ſes maximes particulieres. Au congrez de Weſtphalie les Plenipotentiaires de France ne negotioient pas immediatement avec ceux de l'Electeur de Saxe, par ce que ceux cy ne voulant point donner le tiltre de Majeſté au Roy, on ne leur vouloit point donner celuy* d'Excellence, *ny le Roy ne donnoit point à leur Maiſtre la qualité de frere, comme aux autres Electeurs ſeculiers. Les Plenipotentiaires de l'Electeur eſtant arrivés à Oſnabrug n'attendirent pas la premiere viſite de ceux de l'Empereur, mais ils la previnrent : c'eſt pourquoy les Ambaſſadeurs de Suede pretendoient le même avantage & l'obtinrent enfin, aprés une longue & tres facheuſe conteſtation. Pour faire voir, qu'à la Cour de Dreſde on ne s'arreſte pas beaucoup aux punctualitez des ceremonies; je ne marqueray icy qu'un ſeul exemple.* En l'an 1632. le Roy de France y envoya le fils d'un Medecin de Metz, nommé la Grange aux Ormes, ſans autre qualité que de celle de porteur de lettre. L'Electeur ne laiſſa pas de le recevoir avec les meſmes honneurs, qu'il auroit pû faire à un Ambaſſadeur; le faiſant laver le premier, & luy faiſant prendre la premiere place à ſa table. J'ay veu des Princes d'Allemagne donner aux Ambaſſadeurs des Electeurs la place d'honneur par tout, dans le Caroſſe, à la table & ailleurs. *Mais c'eſt ce qu'ils ne devroient pas faire à l'Ambaſſadeur du plus grand Roy de la Chreſtienté; puiſque le Duc de Baviere meſmes, devant qu'il fuſt Electeur, ne le faiſoit point, & les Ducs de Savoye, de Lorraine & de Mantoüe ne le font point encore. Ces Princes ne font point de diſtinction entre le Miniſtre & celuy qui l'envoye; & de l'autre coſté ces Ambaſſadeurs oublient ce qu'ils ſont, & s'imaginent qu'ils ſont Princes en effect.* Le Roy de Dannemark mariant le Prince ſon fils à la troiſiéme fille de l'Electeur de Saxe en l'an 1634. fit de honneurs ſi grands au Ambaſſadeurs de l'Empereur & de France, que je ne ſçay comment les re-

preſentants oſerent les recevoir. Aprés la benediction du mariage le Roy & les trois Princes qui avoient conduit le marié & la mariée prirent les premieres places, mais l'Electrice de Saxe, mere de la mariée, fut placée aprés les Ambaſſadeurs. Le Roy ne ſe trouva point au ſouper, où les meſmes Ambaſſadeurs eurent les chaiſes immediatement aprés celles des mariés devant celles de tous les Princes & de toutes les Princeſſes. Au ſouper du troiſiéme jour les Ambaſſadeurs furent placés les premiers devant les nouveaux mariés; & au Ballet, qui ſe dança enſuite, *Le Roy meſme prit la quatriéme place aprés les trois Ambaſſadeurs.* Trois ou quatre jours aprés ſe fit le mariage du Comte Pens, avec une des filles naturelles du Roy, où les Ambaſſadeurs de l'Empereur & de France conduiſirent le marié, le Roy & celuy de Pologne la mariée. Au carrouzel qui ſe fit le Dimanche ſuivant le Roy prit encore place aprés les Ambaſſadeurs. *Les Roys & les Souverains qui en uſent de cette façon, ne connoiſſent pas la qualité de leur Caractere, qui eſt tellement au deſſus du reſte des hommes qu'il n'y a point de civilité, qui les puiſſe obliger de ceder à qui que ce ſoit, ſi non à leurs ſemblables.* Expendi hæc merentur, ut appareat, quàm parum in his, ut videri poſſit, minutiis exacti fuerint Reges Septentrionales & Germaniæ Electores ac Principes; ne ſcilicet impoſterum illis nimia facilitas exprobretur. Poſtquam enim Rex Legatum, Elector vix Ablegatum Regium ſibi antepoſuit, quid alios feciſſe credemus? Ignorantiâ haud dubiè aut neglectu cæremoniarum, quæ apud exteros vigent. Nec amplius mirabimur quòd Principum Miniſtri noviſſimè venientes aliquando viſitationibus non expectatis ad alios Legatos ivêre, quoniam Regulam de noviſſimè veniente primum viſitando, novam apud Germanos fuiſſe, ex eo quod Electoris Saxoniæ Legati fecere, conſtat; certè ſuperiore ſeculo parum cognitam fuiſſe, intelligi vel ex eo poteſt, quod *Grignanus* Legatus Franciſci I. apud Papam ad Comitem ſtabuli Momorantium ſcribit, ſe Imperatoris Legatum ſibi noviſſimè venienti, viſitationem primam minantem, preve-

nire

nire voluiſſe, ſed fruſtra. Veniſſe enim Imperatoris Legatum antequam ipſe egredi domo potuerat. Talia ergo olim parum fuêre ſtabilita; Idem eſt de honoratiore loco vel inceſſu quem Legatus apud ſe Legato hodie debet, nullo mittentium diſcrimine; modo Suprematum habeant; cum olim hæc civilitatis potiùs quam juris eſſent. Hoc autem ſemel recepto, Principes noſtri Legatis ſuis dudum injunxêre, ut eâdem qua cæteri conditione utantur. Idque ab ipſis jure fieri, illuſtri admodum exemplo agnitum eſt à Cæſarianis, quod mihi à Magni Principis Miniſtro tranſmiſſum bona fide huc adducam. Nimirum anno 1655 ad Francofurtenſem Deputationem convenerant complurium Principum Legati ſive Miniſtri. Caput Legationis Cæſareæ ſive primus Commiſſarius erat Reverendiſſimus Epiſcopus Wormatienſis Sacri Imperii Princeps; ad hunc cùm die 6 Decembris inviſiſſet Legatus ſive Miniſter Brunſvicenſis Polycarpus Heiland, primi gradus ſive manum paſſuſque honorem in domo ejus habuit; quod ut pateat clariùs, verba relationis ab ipſo ad Dominum tranſmiſſæ, exhibere, operæ pretium erit.

6. SEPTEMBRIS.

[Bin ich zu geſagter ſtunde nemblich umb 10 uhr nach dehnen Herrn Käyſerlichen gefahren/ an ſtatt deßen aber das ich vermeinet/ es würde die Käyſerliche Geſandtſchafft beyſammen ſein/ habe ich doch nur allein des Herrn Biſchoffs zu Worms Fürſtliche Gnaden in der Thum-Probſtey angetroffen/ welcher dann in reſpect des Fürſtlichen Hauſes mir groſse ehre angethan/ und mit entblößetem Haupt mir an die eußerſte Pforte entgegen kommen/ mir auch im eintreten in das Hauß/ Anti-camera, und Audienz-Gemach den Vortrit gelaßen; mich gegen dero über geſetzet/ &c. Nach gemelter Conferenz haben ſeine Fürſtliche Gnaden mich wieder bis in den Hoff begleitet/ und wie beim eingehen geſchehen den Vortrit mir allemahl gelaßen/ &c.] Nec vero putandum eſt hoc indulgentia quadam vel facilitate factum, cùm eo ipſo tempore jam cum

Electoralibus recruduiſſet contentio de *Excellentia*, quam ab eodem Wormatienſi Epiſcopo Electorales fruſtra poſtulabant.

Cap. LXIV.

Jure & poſſeſſione probatis; ſuaſoria paucis attinguntur. Cæſar *quemadmodum errorem veterem depoſuit de Comitiis ejus poteſtati damnoſis, ita hunc credo exuet, quod Electoribus potius quam Principibus favere debeat.* Electoribus *ſalva manebit prærogativa, ſi obtinere poſſunt ut Miniſtri ipſorum velut Veneti ſeu Regii tractentur, modo noſtri tractentur ut Ducales, Sabaudi & Florentini, quod ipſimet Electores procurare debent; ſic enim facilius perſuadebunt, ſe Regibus æquari; ſi Principes quibus ipſi dignitate præſtant, Ducibus liberis æquantur. Idem ad honorem Imperii pertinet.*

Atque hæc jam exempla ſufficient, credo; ut appareat magnos Germaniæ Principes plenum Legationis jus non habuiſſe tantùm, ſed & exercuiſſe. Non dubito quin innumera alia adducere poſſet cui paſſim in Archiva aditus pateret. Ego pauca, & non niſi ea quæ ſeſe obiter quærenti primo obtutu objecêre, attuli, ſed memorabilia ſatis, & ad evincendos actus poſſeſſorios valitura. Quibus tamen actibus ſupra demonſtratum, non eſſe opus ad poſſeſſionem, quoniam quæ meræ ſunt facultatis, & cuique ex natura dignitatis ſuæ cæterorum exemplo competunt, ipſo jure poſſidentur; & in ipſius arbitrio eſt, exercere ubi commodum erit. Nunc autem inprimis jus urgendum eſt, poſtquam res in controverſiam deduci cœpit; nam etiam quæ meræ ſunt facultatis, amitti poſſunt, ſi tunc omittantur: quemadmodum apud Juriſconſultos ex Servitutum conſtitutione patet. Nec verò dubito quin manifeſtæ æquitati locum daturi ſint Cæſar & Rex Chriſtianiſſimus & cæteri Reges aut Suprematum habentes. Nam quod *Cæſarem* attinet, falluntur, quicunque neſcio

Digitized by Google

neſcio quas Auſtriacorum conſiliorum nænias veteres repetentes, credunt, intereſſe Cæſaris ut Electores unicè colat, ceteris inſuper habitis. Eſto ita: fuerint tempora, quibus è re videbatur plus ſolito indulgere Electoribus; ſunt tamen eruntve alia quoque, ubi non minor magnorum Principum habenda ratio videbitur. Neque enim quotidie Romanorum Reges creantur. Nam quod ad Imperii adminiſtrationem attinet, non habet Cæſar cur ſe potiſſimum applicet Electoribus, imò contra, ipſius intereſt ſervari æquilibrium, quod ipſe adjecto calculo ſuo in utramvis partem inclinare poſſit. Oligarchiam ſeu paucorum Dominatum, odia parere conſtat ex regimine Ferdinandi II. qui Electores tantùm audiebat. Sapientiùs facit Leopoldus, qui omnibus æquum ſeſe ac popularem oſtendit, quæ eſt vera ad amorem, imò & ad potentiam via. Nimirum exuit ille veteris erroris præjudicium quo Cæſares imbuti Comitia oderant, velut poteſtatis ſuæ frænum; nam contra felici hodie experimento conſtitit, Cæſari ſapienti & juſta tantum affectanti, Comitia potentiæ inſtrumentum eſſe. *Utile eſt omnes conſulere omnibus conſulenti.* Imò nunquam rectiùs neque auguſtius apparet autoritas Cæſaris, quàm in hoc Theatro. Poſtquam ergo depoſitus eſt capitalis error, qui Cæſares à Comitiis averterat, credo & alterum cum ipſo extirpatum, qui à Principibus ad Electores omnia referebat. Tum demum extinctis odiis atque ſimultatibus vera Imperio tranquillitas redibit, cum unuſquiſque intra limites conceſſæ poteſtatis ſe tenebit, & cum autoritas cuique erit pro modo facultatum atque onerum; quod ſecus fit, iniquum nec durabile eſt. Electores plerique agnoſcunt autoritatem ſuam pace Imperii inprimis ſtare. Itaque ſimultates vitabunt paci inimicas, nec illos audient qui ſoli in turbido piſcantur. Pacem autem cum nomino, non externam ſed domeſticam intelligo. Nam cuivis hoſti pares ſumus ſi domi pacem habemus. Sed digredior in alienum à meo argumentum: neque enim hoc loco ſuaſoriam ſcribimus; ſed, ut ita dicam, in judiciali genere verſamur; nec quid interſit, ſed

quid

Digitized by Google

quid juſtum ſit, tractamus. Præterea etſi fortaſſe de Republica nec pauca, nec contemnenda, nec omnino aliena dici poſſent, ea tamen hoc loco producere, proſtituere eſſet. Cæterum nihil mihi excidere ſpero paſſus ſum, quod Electoribus grave eſſe poſſit. Imò contrà, ipſis pariter ac cæteris Germaniæ Principibus magnis, Suprematum aſſerui multo apparatu & forte majore ſoliditate, quam hactenus quiſquam, ſalva Cæſaris Majeſtate. Nec video quid decedat Electoribus, ſi quos æque liberos ipſi fatentur, æquo libertatis ſive Suprematus jure utantur. Imò, qua ſunt ſapientiâ, libenter concordiam publicam omniumque amorem rediment tantilla facilitate. Et ad honorem Germaniæ pertinere fatebuntur, ut magni ejus Principes exteris nihilo potentioribus, non inferiores cenſeantur. Cur enim in illis ægre ferant quæ in Parmenſi aut Mutinenſi tolerantur. Sed non eſt cur de optimo eorum animo dubitemus; nam & qui nuper pro ipſis ſcripſêre teſtati ſunt, nunquam in mentem veniſſe Electoribus, ut cæterorum Principum honoribus obſtaculo eſſent. Imò contrà, quanto Principum aliorum dignitas teſtatior tantò ipſorum prærogativa eminentior erit. Nam ſint, ſi videtur, Electores Regibus pares, eodem cum Venetis honore fruantur, in Sala Regia Romæ, & in Sacello locum inter Legatos Regios habeant; Legati eorum tali introitu excipiantur, qualis à Regiis fieri ſolet. Noſtris Principibus ſufficit, inter Duces Sereniſſimos ſive Suprematum habentes, locum tueri, & quicquid Florentinus, Sabaudus, Mutinenſis aut Parmenſis obtinuêre, ſibi vindicare. In quo nihil Electoribus decedit. Imò facilius Electores ſe Venetis id eſt Regibus æquales, orbi perſuadebunt, ſi Principes noſtri, quos ſine controverſia anteeunt dignitate, Florentino ac Sabaudo comparentur. Satis enim magnum hactenus intervallum inter Venetos & Florentinos, id eſt Regem ac Ducem, conſtituit uſus, ut adeò Electorem paris à magno aliquo Germaniæ Principe diſcriminis pudere non debeat. Nec video quomodo ipſis offerri à nobis honorificentiores Concordiæ conditiones poſſint: itaque ſibi ipſis pro-

proderunt, ſi nobis laborabunt. Et, ſi quod ex uſu ſuo eſt intelligunt (quod de tantis Principibus in dubium vocari non debet,) ſuis Miniſtris in mandatis dabunt, ut *Excellentiam* noſtrorum, & cæteras Characteris conſequentias primi agnoſcant. Viciſſim noſtri Principes eundem Electoralibus quem Regiis Venetiſque honorem ſpondebunt. Quo tranſactionis genere neuter perdet; ambo lucrabuntur, ac ſuo pariter atque Imperii honori utraque pars velificabitur.

Cap. LXV.

Hiſpanis *eædem quæ Cæſareis rationes eſſe debent.* Cæſarei *non alia magis ratione difficiliores Noviomagi fuere, quam quod nondum cum Cæſare Principes ea de re, ut fecerat Brandeburgicus, tractaverant, ut patet ex relatione Beverningii. Teſtimonium pro Principibus ex autore qui pro* Electoribus *ſcripſit.*

DE *Hiſpanis* non eſt cur ſeparatim dicam, quia eaſdem ipſis cum Cæſare rationes eſſe, aut certè eſſe debere arbitror. Tantùm annoto Gubernatorem Generalem Belgii Regii, qui in his rebus plena poteſtate utitur, promptitudinem ſuam prolixè teſtatum eſſe. Sed & *Cæſarei* profeſſi ſunt Noviomagi, ex Domini mandato, agnituros ſe in Principum noſtrorum Miniſtris Legatorum Characterem. Tantùm circa cæremonias nondum conventum, quia nec tractatum eſt; quod ipſi Cæſarei ſatis inſinuavêre verbis, ex quibus judicari poſſit, plura, quàm quidam ſuſpicati ſunt, conceſſuros, ſi ut par eſt cum ipſo Cæſare hac de re (Brandeburgici exemplo) tractetur. Apparet hoc ex Beverningii relatione, qui cùm ex Sententia Ordinum pro Miniſtrorum Neoburgicorum, Lunæburgicorum ac Lotharingorum jure apud Mediatores cæteroſque Miniſtros Fœderatos egiſſet; hoc à Mediatoribus Regis Magnæ Britanniæ Legatis, & poſtea à Cæſareis quoque reſponſum tulit: Mediatores cum Legatis Regis Chriſtianiſſimi contuliſſe, &

Prin-

Principum ſupradictorum cauſa officia ſua interpoſuiſſe, ſed reſponſi loco duas à Legatis Gallis quæſtiones retuliſſe, unam, an allegata eorum Principum jura tantùm à Fœderatis Ordinibus, an verò & à cæteris Fœderatis, Cæſare, Rege Catholico, Rege Daniæ, ſuſtinerentur; alteram, an ipſi Mediatores hoc velut Mediatores, an verò velut Legati Regis Magnæ Britanniæ urgerent. Denique Gallos declaraſſe etſi in ſuo Archivo veſtigia hujus Principum juris nulla reperiſſent [hoc, quàm rectè dicatur, ex iis judicari poteſt, quæ exemplis ac rationibus demonſtravimus] ſe tamen cæterarum Poteſtatum Chriſtianarum ſententiæ non obſtituros. Hoc fuit Gallorum reſponſum. At Comes Kinſkius Cæſareus Legatus hæc duo cur aſſentiri nondum poſſet, allegavit; quòd ſcilicet necdum apud Cæſarem ea de re egiſſent Sereniſſimi Principes, deinde quod Cæſarem certum eſſe oporteat, Gallos exemplum ſecuturos. Verba Beverningii ita Dominis ſuis referentis, Belgicè uti concepta ſunt, exhibere operæ pretium erit: Maer wy hebben tot noch toe het ongeluck gehadt / dat den Heere Grave Kinsky daer toe niet heeft konnen werden gediſponeert / hebbende ſijne Negative daer op gefondeert / datter aen ſijne Keyſerlijcke Majeſteyt niet en werdt geverght / noch yets aen deſelve verſocht / ende datter geene redenen en waren / waerom deſelve ſigh voor af ſoude verklaren ſonder verſeeckert te zijn / dat den Koningh van Vranckrijck daer aen by gevolge ſoude defereeren / &c. Hæc Beverningius $\frac{22\ \text{Febr.}}{4\ \text{Mart.}}$ hujus anni 1677. Unde intelligi poteſt, Cæſarem meritò voluiſſe ac debuiſſe rogari exemplo Brandeburgici; de reliquo autem jus noſtrum pleriſque indubitabile videri, etſi alter alterius declarationem exſpectet. Quod ut appareat clariùs, libet illius ipſius verba adducere qui Diſſertationem ſub titulo: *Lettre d'un déſintereſſé*, &c. pro Electorum prærogativa edidit. Ille profeſſus Electores dignitati Principum, & nominatim Juri Legationis non obſtare, ſubjicit pag. 38. & ſeqq. [*Je m'étonne grandement*

que

Digitized by Google

que les Princes dans l'eſtat, & conſiderez qu'ils ſont, & où leur ſuperiorité n'eſt conteſtée de perſonne, agiſſent neantmoins tout de meſme, comme ſi la dite leur ſuperiorité eſtoit douteuſe, & que la France en fuſt l'arbitre & le maiſtre. Ils pourroient en tout cas ſouſtenir à tres-bonne raiſon, comme je vois, que là où un Prince de ſon propre chef peut envoyer ou employer un Envoyé avec plein pouvoir dans un congrés, comme eſt celuy de Nimweguen pour traiter la paix, il y pourra envoyer auſſi un Ambaſſadeur, ſans qu'il aye beſoin d'en demander ou de tirer la permiſſion ou l'authoriſation des Paſſeports du Roy de France, puis qu'il n'y a point d'autre difference que je ſçache entre un Ambaſſadeur & un Envoyé Plenipotentiaire d'un meſme Maiſtre, ſi non les frays & la Parade, que l'un eſt obligé de faire plus que l'autre. Les Princes feroient certes, à mon petit avis, beaucoup mieux, de ſeparer ſoigneuſement leur intereſt & celuy de l'Empire d'avec l'intereſt de la France; & de ſe tenir ſur leur gardes, ſans donner lieu à des propoſitions ſi ſuſpectes, comme toutes celles, qui en viennent, & qui n'ont rien de bon & de ſolide qu'en apparence. Pourquoy donc s'attacher aux deſirs paſſionés de cette nation capables de les ruiner de fonds en comble? Ils ne s'en devroient point mettre en peine, quel Paſſeport la France leur voudroit donner, pourveu que leurs Miniſtres y trouvaſſent leur ſeureté pour aller à Nimweguen, & en retourner librement, & qu'on ne leur y oſtât rien de leurs droits de Superiorité; Ils pourroient en tout cas donner des Paſſeports en meſme forme aux Plenipotentiaires François qu'ils en recevront. Ils pourroient envoyer leurs Miniſtres avec un tel Caractere au congrés, qu'ils trouveront bon & ſi la France voudra faire difficulté d'accepter leurs Plenipotentiaires en telle qualité qu'ils les envoyent, ou ne leur faire l'honneur qui leur appartient; Il ne tiendra qu'à eux de n'accepter non plus les pouvoirs du Roy Tres-Chreſtien & de traitter ſes Plenipotentiaires de meſme qu'ils traitteront les leurs; en attendant ce qui en deviendra, ils pourroient eſtre aſſeurez que l'Em-

pereur

Digitized by Google

pereur & les Electeurs les y aſſiſteront ſi les François leur voudroient refuſer ce qui leur eſt deu, ſi bien que les François n'y trouveroient nullement leur compte.] Ubi, ut obiter dicam, in eo errat, quod Legatum ab Ablegato non putat differre niſi ſumptu & pompa, cùm differant qualitate dignitatis, & Charactere repræſentatitio. Sed ſatis eſt eum probare jus Legationis Principum; eoſque hortari ut non exſpectatis Gallorum Salvi Conductus tabulis ſuo jure utantur & recuſantes Gallos eodem plane modo tractent quo ipſorum Miniſtros tractabunt.

Cap. LXVI.

Ejuſdem confeſſio de ſplendore quorundam Principum & magnitudine. Objectio quod nimia multitudo exiguorum Principum, Comitum, Civitatum magnis Principibus noceat. Reſponſio facilis ex ſuperioribus, quod non niſi Sereniſſimi Principes qui ſubinde armis & fœderibus ſibi autoritatem faciunt, Suprematum exerceant. Talium autem nunquam magnus nimis eſt numerus in Mundo.

IDem tamen autor paulo ante nonnulla dignitati Principum objecerat quæ diſcuti merentur. Ita enim habet pag. 36. [*Il eſt vray, ſi nous voulons regarder l'ancienneté, la ſplendeur, le luſtre & la puiſſance des familles d'aucuns des Princes de l'Empire, dont quelques-uns ſont iſſus meſme des maiſons Electorales; qu'on en trouvera parmy eux, qui ſont tres-conſiderables, & où il n'y a rien à redire, mais il faudra avoüer auſſi, ſi les dits Princes vouluſſent pour cela introduire cette nouveauté dans l'Empire que de s'eſgaler & pariſier aux Electeurs, qu'il n'y auroit point d'Eveſque d'Allemagne ſi petit, n'y aucun Prince ſi nouvellement receu, & ſi peu conſiderable, qu'il puiſſe eſtre, ſe trouvant aux Aſſemblées & diétes de l'Empire avec les ſuſdits Princes, & y joüiſſant avec eux du droit de ſuffrage, lequel ne voudroit marcher avec eux ſur le meſme pas, ce que les dits Princes trou-*

trouveroient pourtant ſans doute bien ridicule. Et ſi les Princes voudroient fonder leur pretenſion (d'eſtre autant, que les Electeurs) ſur leurs droits territoriaux & de Superiorité, ne ſeroient-ils pas obligez d'avoüer (ce que neantmoins ſeroit encore beaucoup plus eſtrange) que les Prelats, les Comtes, les Barons & les Villes Imperiales qui ont auſſi bien des droits territoriaux, pourroient pretendre avec eux tout le meſme. Si bien, que dans l'Empire il n'y auroit plus de Regle, ny d'ordre, ny aucune meſure à prendre.] Hoc ideò adduxi quia ſcio etiam exteros quoſdam hoc phantaſmate nimiæ Regulorum ac Rerumpublicarum in Germania multitudinis terreri. Sed præterquam quòd non ſunt tot in Germania Domus Sereniſſimæ, quot Romæ reperiuntur Cardinales, (qui tamen cum Electoribus contendunt) nec numerus Germanicarum uſque adeò magno exceſſu Italicas vincit; Hoc, inquam, miſſo, conſiderandum eſt, Principes noſtros non niti jure Superioritatis Territorialis, ſed Suprematus; quem non niſi pauci in Mundo exercent; illi ſcilicet, qui exercitum extra fines ſuos ducere, armiſque & fœderibus plurimum ad ſummam rerum conferre poſſunt, quod Sereniſſimis Germaniæ domibus competit. Horum ergo Miniſtros Congreſſibus pleno jure & honore intervenire æquum eſt, quoniam de jure gentium ſeu belli ac pacis non minus ac alii participant. Et ſi hoc ipſis negaretur, fieri poſſet ut congreſſus animos exacerbaret magis, quàm pacem promoveret; nam omne contemtûs ſignum erga potentes periculoſum & ideo paci, primo juris gentium ſcopo, contrarium eſt; Cum inter omnes Suprematu gaudentes quandam velut Societatem & quodammòdo æqualitatem natura conſtituerit & jus gentium pacis cauſa exigat, ut ſupra multis oſtendi. Quæ omnia ceſſant in illis, qui ſolam habent Superioritatem territorialem, ut plurimi in Germania & alibi Dynaſtæ (qui aliquando Principum nomen ferunt) & urbes Imperiales & Principes aliqui noviter creati. Sed difficultatem motam non miror, quia nullus ſcriptorum hactenus diſcrimina iſta diſtinctè ſatis explicavit.

Digitized by Google

Cap LXVII.

Suaſoria ad Gallos; & alios exteros. Sueci *ſunt in Collegio Principum. Coronæ Principibus favere antea viſæ. Si* Rex Chriſtianiſſimus *noſtros Miniſtros diſtinguit ab Italis, noſtri eum à Cæſare eſſentialiter diſtinguent. Plus honoris noſtris debetur ab exteris quàm à Cæſare. Galli Sabaudis & Mantuanis dedere* Excellentiam, *non Cæſarei; Cæſarei nobis Jus Legati ſeu Ambaſciatoris conceſſere, & Galli gratiam abſoluti negotii inibunt à nobis, ſi re conceſſa, etiam Cæremonialia velut conſequentias addent. Galli æquè cum noſtris ac Italis fœdera utilia & efficacia ineunt. Si noſtri talibus olim inſtituiſſent ut Itali, ea dudum obtinuiſſent. Paucis abhinc annis credo Principes noſtros omnia ſine controverſia habituros, quæ alii; & vereor ne tunc ſcriptum hoc meum nugax & in re clara ſuperfluum habeatur.*

POrro cum ex his pateat tantum ſupereſſe, ut publica confeſſio manifeſtiſſimi juris noſtri habeatur; ideò in rem iſtam apud Imperatorem, Hiſpanum, Electores, quæ diximus; apud Gallos verò & apud Suecos quæ dicemus, urgeantur. Sueci in Collegio Principum locum habent; Galli monebuntur primum, Imperatorem & Regem Catholicum jam partem itineris confeciſſe agnita Legati qualitate, ipſos verò gratiam abſolvendi habituros, ſi re conceſſa etiam annexa cæremonialia noſtris deberi profiteantur. Nec exemplo Imperatoris (à quo tamen noſtri eadem quæ Italis Imperii Principibus conceduntur, exſpectant) præfractè adeo Regem Chriſtianiſſimum inſiſtere debere, niſi velit inter ipſum quoque & Imperatorem à nobis eſſentiale dignitatis, & in Legatis characteris, fieri diſcrimen. Præſertim cum Galli Monaſterii Sabaudis & Mantuanis *Excellentiam* à Cæſareis negatam dederint, & Principibus quoque Imperii plus ſemper honoris à Rege Chriſtianiſſimo quam ab Imperatore ſit habitum:

habitum: certè Paterfamilias ſuos propinquos (quales quodammodo reſpectu Cæſaris ſunt Imperii Ordines,) familiarius tractat quàm ab exteris fieri deceret, & rectè ait autor *de la Lettre d'un déſintereſſé* qui pro Electorum prærogativa ſcripſit pag. 30. [*Les Roys de France ont de tous temps accordé & exhibé aux Princes d'Allemagne beaucoup plus d'honneur & de civilité, que non pas les Empereurs, qui en ſont reconnus comme Chefs de l'Empire. Le Roy Tres-Chreſtien trouveroit auſſi ſans doute bien eſtrange, ſi l'Empereur ou quelque autre Roy ou Potentat voudroit entreprendre de traitter un frere du Roy, un Prince de Condé, &c. de la façon que ledit Roy Tres-Chreſtien les traitte.*] Addi poſſunt quæ iiſdem pene verbis ſupra adduximus ex autore libelli: [*Denoüement de la queſtion*, &c.] qui æqualitatem duorum Electoris Brandeburgici Legatorum aſſerit; & placuit quod alibi obſervatum vidi his verbis: [*il ſeroit en quelque façon contre la juſtice du Roy tres-Chreſtien de s'en vouloir rapporter à l'Empereur aux choſes qui peuvent prejudicier à l'eſtat des Princes, ne le ſuivant pas en des choſes favorables; eſtant connu que l'Empereur écrivant aux Princes d'allemagne leur donne la Serenité, & ſe ſouſcrit avec courtoiſie, ce que le Roy ne fait pas.*] Conſtat autem ſemper Regem Chriſtianiſſimum fuiſſe profeſſum, curæ ſibi Principum libertatem atque honorem eſſe; in Monaſterienſi pace id egiſſe, ut publica Imperii lege condita, jus quod ipſis dudum competebat, fœderum, Legationum, belli & pacis, verbo, Suprematus, publica declaratione conſtaret. Recte facturum Regem, ſi beneficium ſuum integrum eſſe velit, nec quod una manu dedit, altera adimat. Suprematui enim dignitatem & honores connecti qui Miniſtris, charactere utentibus, ſine controverſia conceduntur. Denique ſi Regi juſtum videtur, cum noſtris Principibus æquè ac cum Italis fœdera inire, juſtum etiam ipſi videri debere, in utriſque æqualiter agnoſcere liberi Principis notas. Et ſcire velim quo denique colore rationis Parmenſem aut Mutinenſem anteferant noſtris, quos paulo plus aliquando poſſe ad

Digitized by Google

ſummam rerum, nî fallor, conſtat. Promptiores fuere noſtri in concedendo Regi titulo Majeſtatis, nec viciſſim (ut Electores fecêre) ſtipulati ſunt quæ ſibi deberi dudum arbitrabantur; an ergo æquum erit hanc facilitatem ingenuam ipſis præjudicio eſſe; cùm contra ad generoſitatem Regis pertineat, pari eam candore agnoſcere. Nam ſi Rex in ſua Cancellaria non invenit Principum noſtrorum Legatis conceſſum olim fuiſſe *Excellentiam*, credo nec ſibi olim inveniet tributam à noſtris Majeſtatem; cum tamen *Majeſtas* ſit vetus, *Excellentia* Legatorum nova. Etiam in Parmenſi & Mutinenſi, imò & Sabaudo aut Electorali Legato ſerò demum agnitum, quod noſtris negatur, quoniam tota harum cæremoniarum & nominum ratio diutiſſimè fluctuans, nunc demum in ordinem redigi cœpit; injuſtum eſt autem omnia in aliorum gratiam novari, noſtris ſolis vetera opponi; cum tamen cæremoniæ velut nummi, ex uſu temporum valeant. Quibus addantur quæ ſub finem Præfationis diximus. Nec verò prudens quiſquam dubitabit quin paucis ab hinc annis, tam ſtabile & certum apud omnes futurum ſit jus magnorum Germaniæ Principum, quam nunc eſt Italorum: natura enim inter noſtros Italoſque Principes æqualitatem conſtituit, naturæ autem munera fruſtra artibus differuntur. Tantum ergo quæritur, quis ſuam promtitudinem, ac in manifeſtiſſima cauſæ æquitate agnoſcenda, facilitatem, Principibus noſtris probare velit primus: Chriſtianiſſimo ne an Catholico Regi priùs aut plus debituri ſimus. Certè ſi noſtri, ut Itali ſolent, talia dudum curaſſent, mille habebant occaſiones in manu, qua exprimere exteris poterant juris ſui confeſſionem. An enim Georgio Lunæburgico aut Eliſabetæ Amaliæ Landgrafiæ Haſſiæ aut nuper fœderis Rhenani ſociis quicquam hujus generis Galli Suecique negaſſent? at noſtris, juris ſui certis, inutile viſum eſt, emercari, quod dudum tenere videbantur. Sed quid in re manifeſtiſſima amplius verba perdo? & certè propè vereri debeo, ne aliquot ab hinc annis quando in confeſſo apud omnes erunt Principum jura, me clariſſima tanto

appa-

Digitized by Google

apparatu probantem, fuiſſe nugatum homines arbitrentur, quaſi in meridie facem Soli accenderim. Sed affectus erga patriam, cujus honor in ſummis ejus Capitibus ſitus eſt, & argumenti dignitas, incitavit me non alioqui ſcripturientem. Et jam nunc finiendi tempus eſſe arbitror, ubi primum teſtatus fuero; Terrarum Dominis, Cæſari, Regibus, Electoribus ac Magnis Principibus nihil à me detractum eſſe, & cum argumenti neceſſitas Advocatum cauſæ æquiſſimæ liberius loqui coëgit, profundæ ſummiſſionis reverentiam ſemper integram fuiſſe.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

135

30

Digitized by Google